PRAENOBILISSIMO
DOCTISSIMO CONSVLTISSIMOQVE
VIRO
CHRISTIANO FEIST
REBVS IVDICIALIBVS IN DYNASTIA KYNASTENSI
ET GIERSCHDORFFENSI ATQVE BIBLIOTHECAE
SCHAFFGOTSCHIANAE PRAEFECTO

NEC NON

PRAENOBILISSIMIS DOCTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS MEDICIS
D. IOANNI EHRENFREDO
THEBESIO
CIRCVLI HIRSCHBERGENSIS PHYSICO
PRACTICOQVE CELEBERRIMO

D. SAMVELI FRIEBE
COLLEGII MEDICI REGII ADIVNCTO
PRACTICOQVE APVD SCHMIEDEBERGENSES
FELICISSIMO

D. IOANNI BENEDICTO
SCHNEIDER
PHYSICO IN THERMIS HIRSCHBERGENSIBVS
AC PRACTICO CLARISSIMO

D. CAROLO THEOPHILO
PAVLI
PRACTICO VRATISLAVIENSI
CELEBERRIMO

D. IOANNI PHILIPPO
HERBST
PRACTICO HIRSCHBERGENSI
SOLERTISSIMO

TANDEM

ADMODVM REVERENDO ERVDITISSIMOQVE
THEOLOGO
IOANNI TOBIAE
VOLCKMAR
ECCLESIAE PETERSDORFFENSIS PASTORI
MERITISSIMO
FAVTORIBVS ET AMICIS SVIS
MAXIMOPERE COLENDIS

TENVEM HVNC LIBELLVM
DEDITISSIMO ANIMO SINCERAQVE MANV
OFFERT

AETERNVM DEVINCTVS
AVCTOR.



t in ſuo officio nil deſiderari patiatur Hiſtoricus, oportet ipſum enarrare iuſto ordine actarum rerum ſeriem, neque aliquid facile omittere, quod ſinceram earumdem memoriam in lecturorum animis excitare et conſeruare, ipſasque omnium oculis exhibere, atque coram quaſi ſiſtere queat, ſi vel remotiſſimi poſteri fuerint. Maxima igitur Hiſtorici virtus intemerata fides eſt, quam dare tandem ipſi debent omnes, quando vir probus et integer vel quae ipſe ſenſibus ſuis percepit, gnauiter refert; vel quando ad teſtes coaeuos prouocat, qui rebus geſtis praeſentes interfuere; aut ex relictis teſtium talium monumentis ſua contexere molitur. Ego dum Hiſtoriam quandam morbi quem ipſe expertus ſum, conſignare, publicique

iuris facere ratum habui, meas quidem quantum potui partes expleui, consultum tamen reputaui, VOS VIRI CLARISSIMI, *oculatos rerum mecum actarum testes, omnique exceptione eapropter maiores producere, atque ita scriptis a me fidem iustam adstruere. Nouistis probe, dum benefici, et humani, et mites, et faciles, mihi durissima quaeuis patienti toties adstitistis, quam vera sint quae publice enarro; dabitisque spero, nil praetermissum esse, quod ad pleniorem morbi eiusque decursus notitiam adferri debuisset. Poterat forte Lectoribus meis mirum videri, me ipsum inter summorum dolorum tormenta, praesentissima mente trutinare potuisse, quae vel facienda vel fugienda in medela eorum forent; omniumque tandem ita permansisse memorem, vt superatis malis, ad eorundem historiam conscri-*

bendam

bendam par redderer. Sed VOS bene meminiſtis quam accurate ſemper aegri corporis mei conditiones diiudicauerim, quam rigide inhaeſerim formatae mihi de morbi ingenio ideae; quam tenax ſaepe manſerim propoſiti; quam grauis vobis nonnunquam obloquendo exſtiterim; quamque dulcis mihi fuerit conſiliorum veſtrorum, cogitatorumque meorum conſenſus. Pulchre ego quidem recordor, me alicui Veſtrum perdurantem mentis conſtantiam miranti et collaudanti reſpondiſſe illico, denuo me diſputaturum pro doctoris gradu ſi ſaltem breues horrendis doloribus induciae darentur. Facile igitur ex quo quies naſci incipiebat, ſanitatisque ſpes affulgere, in chartam coniicere poteram ſimplicibus terminis potiora momenta, vt nil aufugeret irreuocabile, quod dignum memoratu foret, quando plena pace im-

petrata

petrata fusius describere singula aggressurus essem. Coepi id laboris genus, vt nostis, inter Vos et Montes vestros adhuc commoratus, elegantiusque forte et limatius opusculum iam ederem si id ad finem perduxissem antequam redux ingressusque Vratislauiam meam inquietum id et turbulentum vitae genus quod Medicis Practicis est, iterum exorsus essem; hoc enim saepe impeditus furtim fere et historiae maiorem partem, et animaduersiones annexas elucubraui, hasque perficere et perpolire vt decebat, vrgente et hortante vt promissis starem Bibliopola, nequiui. Nolite vero existimare VIRI OPTIMI clarissimorum Nominum vestrorum commemorationem me saltem meis vsibus destinasse haec scribentem; Nobilior longe mihi finis ad ea prouocanti superest. Testes eritis miseriarum quas

diuina

diuina gratia adiutus ſuperaui ſatis idonei, ſed Benefactores, Fautores, et Amicos meos publice vos depraedicare, et poſt DEVM immortalem ſeruatae vitae, et inſtauratae ſanitatis Autores venerari, et collaudare vos debeo, niſi ingrati hominis notam incurrere velim, qui me ab omnibus Neceſſariis meis remotum conſilio, alloquio, ſolamine, miſericordia, et amore, qualem apud agnatos maiorem tenerioremque haud deſiderem, mirum quantum adiuuiſtis. Iamque dum in publicum prodit tenuis hic libellus, non minus Veſtra in me merita, quam morbum meum Lectoribus deſcribat volo. Seruet Vos DEVS. O. M. ad canae ſenectutis terminos immunes ab omnium aegritudinum inſultu, atque affluente omnigena felicitate conſpicuos reddat Vos cum Veſtris familiis, ſique

 olim

olim meminisse iuuerit exantlatas aerumnas meas, quarum certe memoria vix vnquam animo meo excidet, fidei nostrae mutuae reminiscentiam innouari in mentibus Vestris beneuole patiamini. Interim sostri et quarumuis grati pectoris significationum loco, quas omnes generose deprecati estis, hoc chartaceum munusculum suscipite, pignusque obseruate candidissimi affectus, quem vobis debeo, quemque illibatum seruabo constanter, donec vitam alio tempore ponere me iusserit custos illius et arbiter. Valete Charissima Capita! et me impense Vos amantem, vt amastis, amare pergite. Scribebam Vratislauiae die 13. Dec. Anni MDCCLII.

LECTV-



LECTVRIS AVCTOR.



Historiarum Morborum ſecundum artis leges conſcriptarum magnum in Medicina vſum eſſe, loquuntur eam facientes vno ore omnes. Ingenti equidem numero iam illae proſtant, vereor autem vt cunctae aequum emolumentum adferant inde proficere auentibus. Mirum quantum mutari poſſe totius morbi, omniumque ſymptomatum faciem, ab exigua circumſtantia, experiuntur Practici toto die; quare nemo eorum dubitauerit, ignorantiam vnius

vnius vel plurium non permittere plenam intelligentiam Morbi, eiusque decursus. Pulchra sunt illa aegritudinum descriptiones, quae accurate et iusto ordine enarrant phoenomena earum singula, vt sese inuicem excepere; sed pulchriores credo et vsu praestantiores, quae caussas simul adiiciunt, a quibus phoenomena vel producta vel immutata fuisse planum redditur. Non ergo saltem morbi ingenium et symptomatum cateruam pinxisse sufficit, sed originem illius et horum, gesta et ingesta ante morbum, corporis fabricam, animi indolem, morbos antea toleratos regimen aegri, et pharmaca exhibita exactissime determinare oportet, vt nullo prorsus defectu laborans habeatur Morbi historia. Sane siue mortuus sit aeger, siue sanus redditus, siue in alium morbum delapsus, omne id quod ipsi euenit, neutiquam perspicue intelligitur sine illis omnibus expositis, et praecipue sine diaeta eius et curationis methodo cognita, quae sola positum iam morbum et vniuersum eius ingenium multis modis varium reddere potest. Nulla difficultas subest vt hoc ipsum osten-

oſtendam euidentiſſime. Ponantur aegri febre acutiſſima laborantes ſibi in omnibus ſimillimi, non certe decurſus morbi ratio cum ſymptomatibus emergentibus, ipſisque criſibus pendebit a ſola morbi natura, ſed quam maxime a diuerſa ratione medendi, prout ſua quibusuis artificibus placent. Sit enim Medicus a Venae ſectione abſtinens prorſus, viresque vitae auctas ſibi relinquens; alius Venae Sectionem ſemel, bis, adminiſtrans, viresque vitae ad iuſtum moderamen reducens; rurſum alius ad abuſum multiplicatis Venae Sectionibus vires vitae ad pulſum infra naturalem ſtatum, paruum et debilem minuens; iterum alius opium poſt adminiſtratam vel omiſſam Venae Sectionem adhibens; adhuc alius praemiſſa vel omiſſa Venae Sectione alexipharmacis et regimine calido pugnans; alius tandem nitroſa praemiſſa vel omiſſa Venae Sectione largius, parcius praeſcribens; ſane vnus idemque morbus diuerſa methodo diuerſam acquiret faciem, ſique in conſcripta hiſtoria quam fideliſſime is depingatur cum ſymptomatibus omnibus, neſciatque Lector regimen

et

et pharmaca, nunquam erit certus an ex indole morbi illa pependerint, an minus; an culpa medici vel morbi grauiora fuerint; an ex huius ingenio et illius artificio leuiora. Vnum iam saltem memoro symptoma delirium, quod sola vi vitae aucta per naturam morbi produci, quod Venae Sectione praecaueri, opiatis et alexipharmacis si absuisset induci, si adfuisset grauius reddi, nitratis leniri valet, ita vero sese res habet cum aliis. Atque vt morbi decursus cum symptomatibus, ita quoque eius euentus per differentem medelam erit valde varius. Sine Venae Sectione, vel cum calido regimine forte morietur gangraena viscerum qui aliter seruari poterat aeger; Venae Sectionibus praeter necessitatem exhaustus seruabitur quidem, sed per multas hebdomades manebit debilissimus, morboque chronico expositus. Venae Sectionem simplicem aut duplicem expertus, nitrosisque mediocri copia cum saponaceis vsus pro re nata saepe, intra 14. dies iterum erit sanissimus. En fontes enormis discrepantiae obseruationum de Morbis consignatarum! en cautionum necessitatem, ne

inter

inter legendum foede decipiamur. Sed et eadem mihi dicenda ſunt de diaeta: etenim ſi forte eiusmodi febre acuta laborans biberit affatim cum vel ſine praeſcitu Medici cereuiſiam tenuem et fermentantem, eandemque frigidiuſculam, atque inciderit in diarrhoeam non ſane haec morbi ingenio debebitur, et vere ad eius ſymptomata pertinebit; ſique alius forte vini ſtrenuus potator ingruente iam aegritudine nondum de eius periculo cogitans meri largam quantitatem iniurgitauerit, grauiora ſymptomata omnia quae ab inflammatione vniuerſali naſcuntur, quaeque ſibi relicta longe mitiora futura erant, a ſolo Morbo deducenda habebit. Non alio fine omnia haec eloquor, quam vt mature veniam petam diffuſiori paulisper ſcriptionis generi, quod vitio mihi vertere poterant Lecturorum quidam, cui tamen ego ſuperflua immiſta, quam deeſſe quaedam malui, non facile ſubintelligenda. Illa vero quae nimis ſuperflua, aut allotria prorſus videri poſſent rigidioribus Iudicibus, forte non omnibus habebuntur inutilia; ſaltem cum ſperare mihi liceret Lecto-

res

res etiam a Medicinae ſacris alienos, illos detinuiſſe in peruoluendo hoc libello non prorſus illaudabile declarabitur; Amicis vero nonnullis curriculi Vitae meae triſtiorem quandam partem quam elapſam ſine obitu meo gaudent, in perpetuam memoriam curatius deſcripſiſſe, ipſi opinor Momi et Zoili quos interim parum moror, fortaſſis excuſabunt.



§. I.



§. 1



Immergitur denuo triſtibus aerumnis et angoribus nondum in integrum redditus ſibi animus; obſtupeo totus quantus, ſtant ad exantlatorum laborum reminiſcentiam comae, videorque mihi infandos illos quos ſuperaui dolores renouatos iterum perſentiſcere, dum tremendum illud aegritudinis genus, quod ſine ſingulari diuina gratia me certo certius iugulaturum erat, delineare aggredior. Neque tamen id ſemel ſubiiſſe, per omnem vitam quae ſupereſt poenitebit, ſed potius dum de deuictis adeo minacibus malis vtcunque iterum valens trimphum ago, in tanto eminentiores laetitias et plauſus exſoluar, ſi in generis humani, aut ſaltem Ciuium meorum commoda cholera atroci laborauero; atque ſi laboraturis ea aliquando ſolamen aliquod ex experientiis et obſeruationibus e meo corpore petitis acceſſerit. Pulchre mihi lecta

Hiſtoriarum morborum, quos perpeſſi medici ipſi deſcripſerunt accurate, prae aliis aegritudinum hiſtoriis praerogatiuae.

A

ſunt

ſunt illa, quae praeſtantiſſimi in arte Veteris aeque ac recentioris aeui Viri de hoc morbo et cognoſcendo et curando annotarunt. Noui illa ſelectiſſima ex ingenio illius intimiore petita vſuque probatiſſima praecepta, quae ad medelam feliciorem obtinendam promulgarunt Medici in Praxi verſatiſſimi. Neque mihi ignoratur choleram morbum licet optimis quibuscunque remediis non raro rebellem ſaepeque non obſtante optima methodo adhibita nihilominus funeſtum, tamen quoque actis omnibus agendis diligenter et mature vt decet, fuiſſe percuratum; ipſeque non ſemel eundem victas mihi dediſſe manus gauiſus ſum. Non ergo videbatur egere Medicina geminatis illius et iteratis deſcriptionibus, cum elegantiſſimae et exaſciatiſſimae iam in Auctorum monumentis magno numero legantur. Pace vero ita ſentientium dixero, prorſus aliquid peculiare ineſſe illis hiſtoriis morborum quos medici ipſi perpeſſi ſunt, et deinde deſcripſerunt quam fideliſſime, partium omnium ſtudio ſepoſito, ſine fauore hypotheſium vni ſimplicique Veritati litantes. Maxime vero eiusmodi ſcripta aeſtimari merentur, vbi ſimul Autores eorum ſtructurae corporis humani, functionum ſecundum naturam ſuccedentium, cauſarumque eas perturbare potentium

tentium, aegritudinum inde nascentium, viriumque demum ex quibus opponenda caussis remedia agunt in viuam machinam satis gnari, atque in Praxi aliquamdiu versati fuerint. Existimauit olim, vt apud PLATONEM *de Republica* legitur, SOCRATES medicum praestantissimum euadere, si ab ineunte aetate cum plurimis corpore male affectis consuetudinem habuisset, ipseque omnium morborum genere laboraret. Durior hercle foret Via haec, quam pauci vel nulli calcandam sumerent, si ea sola iretur ad gloriosam Praxin, desumsit interim a sententia Veteris illius Sophi occasionem Doctissimus *Ramazzini* publice dicta oratione commonstrandi, medicum Valetudinarium aptiorem esse ad faciendam medicinam, quam alterum inculpata valetudine degentem. Non vero illum Vir egregius ad medendum saltem, sed ad scribendum etiam aptiorem esse, quam pancratice valentem, et duro de robore natum censuit: *Quis enim*, inquit, *pugnam intestinam inter naturam et morbum rectius exponet et chartis mandabit? quam qui intra corporis sui caueam, pugnam huiusmodi, si non oculis spectauit, saltem sentientis animae damno persenserit.* Atque certe propriae tales, inquilinae, et intimae morbosarum molestiarum perceptiones, mutationesque sensationum,

tionum, functionumue corporearum vel ad mortem, vel ad sanitatem propius adducentes, quarum viuax idea per totum morbi decursum nascitur, comparatae cum effectibus assumtorum pharmacorum, sensum aegritudinis functionumque successus diuersimode afficientibus, multum certe praerogatiuae medico semet obseruanti elargiuntur. Etenim rerum vltra omnem dubitationem locatarum notitia sic paratur, cum nemine contradicente illa demum in medicina sint verissima, quae sensu percipiuntur, adeo vt *Pitcarnius* non aliunde, quam ab illis demonstrationum medicarum principium peti debere inculcet; multum vero semper praepollet sensus proprius alieno. Nulla quoque sub debitis cautionibus metuenda hic erit fallacia sensuum, modo eos impedientia aut fallentia pharmaca vel absint prorsus, vel si iis in curatione opus, actione illorum perdurante nunquam, sed seorsim ad aliorum remediorum exhibitorum actionem et effectus attendatur. *Quis autem tunc precor,* vt egregie scripsit laudatus RAMAZZINI *Medicum vere expertum eum non appellabit? qui re ipsa, et in se ipso expertus sit, quid sit in acutis morbis cum morte luctari, in chronicis ad plures menses lectulo aut sellae affigi. Haec vera est numeris omnibus absoluta experientia, non coniecturis*

ᵭuris aliunde petita, ſed ſcientifica ſui ipſius notione comparata, vt Medicos huiusmodi, quibus alioquin conſociata ſit rerum peritia et ſolida doctrina, vere experientiſſimos appellare liceat. Quis enim rectius et cautius aegris adminiſtrabit artis adeo decantata praeſidia, quam qui illa ipſe vel inefficacia, vel noxia, atque interdum etiam ipſo morbo peiora deprehenderit. Summa eas ob rationes inter ſuorum morborum deſcriptores, ac inter tales, qui ſenſationes alienas et experientias ex peregrinis corporibus depromptas tantum ſuas facere poſſunt, obſeruatur differentia. Tantaque mihi illa eſſe videtur, quanta intercedit inter iconem alicuius hominis ad rudioris caelatoris aerarii exemplar, artificioſiſſimo licet penicillo, ſuppletisque omnibus coloribus viuam illius faciem repraeſentare aptis pictam; interque effigiem alicuius callidiſſimi Pictoris, ſemet ipſum toties contuiti et intime noſcentis, propriaque manu atque nitidiſſimis et naturam aemulantibus pigmentis ne minimo lineamentorum ductu omiſſo, affabre elaboratam.

§. 2.

Exempla huc facientia.

Haec omnia intelligentes probe et perpendentes clari in arte Viri ſemper vltro faſſi ſunt, valde ſibi placere *Sydenhamum* Podagram ſuam graphice deſcri-

bentem, atque cautiones elegantiſſimas in faciendis et fugiendis ex ſenſu iuuantium et nocentium natas, candide ſuppeditantem. Laudant proinde Cl. *Aſtrucio* forte ſolo excepto ad vnum omnes *Vlricum* de *Hutten* licet non medicum, quod faedam quam contraxerat Syphilidem, viuis coloribus pictam dederit, quosque negatos ſibi ab inunctione mercuriali dein a Guaiaci decocto epoto fructus reportarit, ſedulus edocuerit. Dolendum vero eſſe facile concedunt Arti medicae bene cupientes, *Proſperum Alpinum* grauiſſima ſurditate correptum, adeo vt maximos ſtrepitus non perciperet, atque in ea verſatum ſententia, nullum Medicum hactenus huius aegritudinis ingenium aſſecutum fuiſſe, nec aſſequi poſſe quam eum qui ipſe ſurdus eſſet, Opus ſuum quod de eius natura meditabatur, ingruente morte haud perfeciſſe. Ego quidem hic loci magna cum cura allegarem deſcriptiones de peſte *Lotichii* et *Diemerbroeckii*, quorum ille peſtem cum bubone in ſe ipſo curatam fuſius delineavit, [1]) hic vero contagium ſuſceptum vertigine, nauſea, anxietate ſeſe manifeſtans, aliquot fiſtulis tabaci optimi fumi ſuctione exhauſtis, cito aliquoties excuſſiſſe ſe memorat, [2]) ſi ſaltem vtrique morſulis

1) Conſil. et Obſeru. Medic. lib. I. c. VIII. obſ. XII.
2) Lib. IV. hiſt. 17.

ſulis acribus antipeſtilentialibus, theriacae et ſudoriferorum vſui non nimis indulſiſſent Veritatis minus ſtudioſi, ſuisque hypotheſibus decepti. Nolo interim aliquid derogatum obſeruationi de tabaco variisque bonis conſiliis, quae ambo experti ſuppeditant. Laudandus autem mihi maximopere venit *Bennetus*, qui occaſione Phthiſeos, qua ipſe laborauit *Theatrum* ſuum *Tabidorum* conſcripſit, quod opus licet iuuenile ſit, et ſtylo valde horrido et aegre intelligibili exaratum, ita vt multos a lectione deterreat, tamen peruolutum ſollicite, diligentiſſimum in obſeruando fuiſſe Auctorem teſtatur, atque illum calculum Magni *Boerhaauii* meruit, vt paſſim ab eo pro optimo de hac materie libello declaretur. Neque negligi a me debet deſcriptio recentiſſima Hydropis vniuerſalis quam dedit eo tandem defunctus paulo ante mortem deſinens et ſupplementum fratri relinquens *Iohannes Storchius*, *Hulderici Pelargi* nomine notus, licet quod largientur manes Optimi Viri varia paulo fuſius et accuratius exhibita mallem. Non cogitem anxie vt plures animo iam non obuerſantes in medium producam propriarum aegritudinum ſcriptores, quos inter non memini exſtitiſſe aliquem, qui Choleram paſſus ipſe eam deſcriptam dederit ſolo *Timaeo* ex-

 cepto.

cepto.[3]) Breuiter vero consignata eius historia est, morbusque omnis cuius caussam candidus appetitum nequam accusat, meo sine omni appetitus peccato contracto grauitate, duratione, et periculo longe fuit inferior, vt facile in sequentibus constabit, non ergo habui cur desisterem a proposito. Igitur quanquam mea, quae in chartam coniicere molior, componere laudatorum antea Virorum Operibus non audeam, tamen operam inanem me impensurum esse vix mihi persuaderi patiar, vbi paulo fusius ne minima quidem circumstantia omissa, quae in lucem pleniorem perducere morbum adeo sonticum eiusque curationem queat, omnem eius historiam contexero. Indulgebunt autem spero mihi laxiores paulisper limites in scribendo ponenti Lectores beneuoli, namque non saltem arti quam exerceo, salutique aegrotantium, sed et pietati religiosae, quam a mortuis quasi rediuiuus debeo miserenti cruciatuum meorum Deo, grataeque mentis significationi, quam sibi deposcunt candidissimorum Amicorum dum procul a meis decumbebam singularia in me studia et officia, oblataque ab iis per solidos dies, perque vigilatas noctes auxiliatrices manus, paginas sequentes sacras volui.

§. 3.

3) Lib. III. cas. 8.

§. 3.

Vt vero ordine debito res meas exequar, ante omnia et corporis quo me indutum voluit Creator fabricam, morbosque antea toleratos, et animi indolem, sine fuco, sine alienis coloribus pingere oportebit. In remotius a me aeuum retrogrediens Maiorumque meorum Cippos visitans cineresque perlustrans, illos vtplurimum diu ante senium licet omnes valetudinarios non egissent, migrasse ex hac vita comperio. Auum Physicum Vratislauiensem Praxi clinica, scriptoque *de insufficientia exspuitionis saliuae, pro obtinenda gloria praeseruatiui vniuersalis et naturalis Pestis* non in celebrem, deinde Copiarum Augusti II. Poloniarum Regis Medicum, gracilem valde corporis habitum nactum, ferendisque itinerum incommodis et aëris iniuriis propterea imparem quadragenario non multum maiorem Warsouiae abstulit febris petechialis tum inter Milites epidemice grassata. Pater Mercator 19. aetatis anno haemoptysin expertus, postmodum haemorrhoidum caecarum, nephritidis, podagrae dolores saepe passus, tandem phthisicus, trigesimum nonum vitae suae annum aegre emetitus, diem suum obiit; Matre superstite, quae iunceum corpusculum aduersitatibus et aegritudinibus

Fabrica corporis Autoris, morbique antea tolerati.

attritum febre continua tandem enectum terrae reddidit postquam per 60 Annos in Orbe commoratum fuisset.

Fortes creantur fortibus et bonis,
Est in Iuvencis est in Equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilae columbam.

Mihi quidem beatam hanc sortem sapiens et iusta Prouidentia denegauit, corpus potius meum contuitus non semel in memoriam reuocaui, quae habet in alio carmine modo adductorum auctor *Horatius :*

Aetas Parentum peior Auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Nempe vterum maternum egressus tenerrimus et macilentissimus pusio, vix altera die superstes futurus videbar Obstetrici, Medico, Parentibusque inter gaudia sua moerentibus, quod anno ante meum natalem primum filiolum conuulsionibus a dentitione enectum doluissent, spemque nouam ceu iterum deperditam aestimare deberent. Deo qui mundi infirmissima interdum seligere et seruare dignatur, vt fortiora confutet, aliter visum erat. Superfui eius Virtute viuifica fotus et sustentatus; variolas nondum exactis duodecim mensibus benignas superaui

peraui feliciter nunquam quoque ex dentitione conuulſus; catarrhalibus interim affectubus dein Puer et Adoleſcentulus creberrime, bis quoque tertiana ex terrore vexatus. Decimo ſeptimo aetatis anno poſt ceſſantes narium haemorrhagias haemoptyſin, ſed leuiorem ſuſtinui, hirudinibus pedibus admotis, venae ſectioni, quieti, nitro, lacti cedentem, neque amplius recidiuam. Petiturus Academiam vigeſimum annum agens dyſenteria noſtratibus epidemica eademque truculentiſſima in vlcus foedum abiente fere ad incitas redactus ſum, id vero multarum hebdomadum labore Illuſtris noſter de *Helwich* lacte, conſerua roſarum cum pauxillo balſami Peruuiani, clyſmatibus lenibus, mellitis, terebinthinaceis, feliciter tandem perſanauit. Cum poſtea in Lipſienſi Academia ſtudiis operam nauarem, a quibus tenui patrimonio inſtructus olim omnes fortunas meas defluxuras intelligebam, vita ſedentaria, meditationibus, lucubrationibus, hypochondriacas moleſtias accerſebam, quas potu aquae ſufficiente cereuiſiis ſpiſſioribus ſubſtituto, et motu corporis, ac diaetae regulis omnibus probe ſeruatis impugnabam. Per duos annos Medicinae Studioſus arthriticis et rheumaticis doloribus paulo grauius offendebar, eaque propter ſuaſu Optimi Praeceptoris

Cl.

Cl. *Schacheri* thermas Toeplicenſes petebam, non mediocre leuamen ex earum per 6. hebdomades vſu reportans. Abſolutis ſtudiis Praxi totum me deuouens, nunc per 26. annos omnis generis taedia moleſtias, aerumnas, nocturnasque interpellationes expertus ſum, ac curſitans quotidie calido, frigido, nebuloſo, pluvioſo ſub Ioue, hyemali praecipue tempore perpetuas viciſſitudines aëris externi conclauiumque calefactorum tuli conſtanter, ſed magno meo damno, infirmius ſenſim corpus et cauſariam valetudinem contrahendo. Hac Vitae meae practicae aera decurrente dyſenteriam bis inter aegros ſuſcepto contagio in me deriuaui, ſed ſagacior citam mihi opem ferens, lenioraque omnia ſymptomata paſſus, feliciter emerſi. Iſiſiadem aliquoties magno et furioſo dolore me invadentem venaeſectione, purgantibus, balneis, veſicantibus, eluſi. Febre maligna ab inundatione inter noſtros ciues graſſata aliis medicinam faciens correptus debiliſſimus aeger, ſed remanente mentis conſtantia tamen idoneus Medicus periculum vitae imminens Vino Rhenano, cardiacis ſubacidis, nitro et camphora declinaui. Cardialgiam aliquando a fragis, butyro frixis placentulis et refrigerio ortam, ac muſculos oris et quosdam ex reliquis faciei conuellentem; inſuper-

que

que artubus ſuperioribus rigidiſſimum ſpaſmum, vt nec antrorſum nec retrorſum moueri poſſent inferentem expugnaui aliquot horarum ſpatio clyſmate, laudano, abluitione aquae calidae cum pauco vino remiſtae. Colicos dolores a leuibus diaetae erroribus et refrigerio ſaepiuſcule me affligentes rheo et epithematibus calidis vincere ſoleo, capitis autem habitualem dolorem et temulentam quaſi grauitatem per multos annos mihi moleſtam, et vbi exacerbatur ab adamatis ſtudiorum deliciis me, proh dolor! toties abeſſe iubentem, lucubrationesque inhibentem, ſola quiete minuendam tollere hactenus nequiui. Innumeris potius vicibus *Sydenhami* effatum *Harriſio* Collegae in aurem inſuſurratum expendens, quod nunquam ex voto ſuis conſiliis capitis malis mederi potuerit, meis moliminibus eiusmodi radicatum morbum fore ſanabilem deſperaui. Haberem plura, ſed taedet triſtem recenſioni impendere operam; ſufficiunt opinor dicta teſtimoniumque omni exceptione maius ſuppeditant, me in corpore ad mediocris ſtaturae leges extenſo, macilento, et teneriori, habere ſyntaxin nervoſam molliorem, laxiorem, ſenſibilem, mobilem, irritabilem valde, ita quidem vt Vir hyſtericus mihi quandoque videar. Eapropter animales functiones

iam

iam in ipſo flore aetatis, quae nunc vltra 44. annum proceſſit, ſemper languidiores expertus ſum, motubusque voluntariis cito defatigandus, a Viſitationibus aegrorum feſſus veſperi rediens, feſſus mane reſurgens, deſiderioque decumbentium calcare mihi immiſſo, ad repetitos curſus et ſcalarum adſcenſum excitandus. Neque naturalibus actionibus meis mihi valde placeo, appetitu plerumque languido ad menſam accedens, digeſtionem tardam, alui lubricitatem nimiam vt plurimum experiens; igitur et ſecundam ac tertiam et ſi vis reliquas coctiones haud ſine vitiis ſuccedere, colligere debeo. Interim tamen, quod mirum Vita mihi ſat fortis eſt, ob reſpirationem facilem et liberam quanquam paulo depreſſior ſit thorax, etiam ab eo tempore quo rudem valde contuſionem multa mala minitantem hic paſſus eſt, non deteriorem redditam, atque ob pulſus magnitudinem et robur, ac arterias venasque ampliores, laudari ſuo iure poſtulans.

§. 4.

Animi indoles. Multum referre ſcripſit *Hippocrates* quali in Corpore locati ſint Animi; meum, niſi turpiter fallor, ſine philautia indagatum et diiudicatum toties, atque emendatum pro Viribus, eiusdem cum corpo-

corporea labe indolis, quae Dei eſt gratia, haud crederem, nobilioremque conſiderem futurum ſi duriore conſtrictus carcere, atque ruinoſo tuguriolo cui vnitur haud impeditus et depreſſus euolare in altum, et ſublimioribus immergi, haud prohiberetur. Supplex veneror beneficam Prouidentiam, quod tyrannidi affectuum, et pathematibus tortoribus pleroſque mortalium transuerſim agentibus, atque ſub iugum ſuum rapientibus, et quae ſummum et vnicum dum viuitur bonum eſt, placida tranquillitate priuantibus, me ſubiici haud permiſerit. Doleo miſerrimam ſortem hominum alto ſupercilio alios negligentium, ſuos defectus ignorantium, incitatisque conatubus, ſed cereo quandoque alarum remigio, et Icaria audacia ſe ſe extollere geſtientium, neque honorum titulorumque ſplendore obtento, quem nec ambiui vnquam, nec ambiturus ſum, deſideriis deſideria in infinitum extendentibus, ſatiabilium. Solo Viri boni et honeſti interno ſenſu ſatur et contentus, firmaque ſpe fretus neminem probum tale elogium mihi denegaturum, feliciſſimam quietem animumque compoſitum ſeruaui. Tenuioribus olim facultatibus inſtructus, dura interim egeſtate preſſus nunquam, vitae ſuſtentationem ſecurus commiſi Parenti ſummo

nobis

nobis omnibus communi, latiſſime patenti et vniuerſali eius munificentia, ſi ſaltem meas vtcunque partes explerem, me ſolum excludere nequeunti diffiſus nunquam. Aſperiorem, fortunam emollitam ſenſim, pauloque tandem pinguiorem ſortem, ſaltem talem mihi habitam, agnoui non diligentiae laborumque mercedem, ſed munus diuinitus indultum, manusque Largitoris bonorum omnium lacrymis prorumpentibus tacitus ſaepiuſcule ſum exoſculatus. Nimis diues ita mihi viſus, cum multis mihi comparatu facilibus ſine vlla ſollicitudine cariturus eſſem, tanto magis mihi abominationi fuit ſitibunda in mediis gazis vndatim licet aliquando ſuis collectoribus affluentibus auaritia. Vidi multoties dum neminem ſcio quem odio proſequerer, cuique male cuperem, ſine detortis in obliquam aciem oculis, ſine ſqualido liuore, alienas felicitates, neque propria Viſcera dentibus eius erodenda et exedenda permiſi, ſuperiores me toleraturus et veneraturus quoscunque lubenter, ſi ſaltem nimis imperioſa licentia mihi graues haud fuerint. Neque dum iuvenilis ardebat in venis ignis, cruorque illo orgaſmo ſpumeſcens per eas voluebatur, qui pruriginem et ſtimulos amoris in elegantiorem ſexum inferre ſolet, foedae voluptatis illecebris me abripiendum

dum tradidi. Imo vero licet nil mihi in rerum natura videatur pulchrius vultu humano, quem ſiue foemellarum ſit, ſiue marium, ſi diſpuncta cum purpura nive diffundatur, ſi ingenuo nitore allicientibus oculis inſtruatur, ſi ſpecioſa oris dignitate condecoretur, atque coordinatione ductuum et lineamentorum alios gratia vincat, nusquam ſine motu amoris et amicitiae affectu contueri mihi datum fuit, puritatem tamen cordis quantum potui conſeruans illibatam, ab omnibus conſcientiae exprobrationibus me tutum praeſtiti. Toto ergo pectore ſemper horrui Iuuenum Comilitonum in Scholis et Academiis diſſolutam impietatem vaga libidine et hirciente oeſtro omnia fraena rationis et religionis diſrumpentem, neque ſibilos et cachinnos eorum, quos interdum ea propter ſum meritus, aegre tuli. Debeo eam morum integritatem poſt gratiae diuinae auxilium Optimorum Parentum monitis et exhortationibus, qui cereo ingenio mature ſenſum boni et mali, aequi et iniqui, laudabilis et illaudabilis imprimere, omni opera allaborabant; neque ſiniſtris exemplis praeeuntes ſua, quae inſeuerant dogmata obliterare iterum conſueuerant. Gratus recordor Parentis agonizantis et ſuffocationi phthiſicae proximi, timorem erga Deum, reue-

rentiam erga ſuperiores, comitatem erga familiares et ſine exceptione omnes homines, ſi vel infimi eſſent aegerrime iam meante per organa ſua ſpiritu, collectisque virium quae ſupererant reliquiis, mihi ſerio inculcantis. O quam multum profuit tredecim annorum Orphano haec obliuioni nunquam dediſſe! quot Fautores iuuenis nactus ſum, vel eapropter, quod voluntati eorum meam ſubiicere addidiciſſem, quam belle operoſa humilitate in me deriuaui Praeceptorum ſine exceptione omnium beneuolentiam! quam glorioſum reputo, dignum me habuiſſe Illuſtrem *Hoffmannum* in tanto honorum faſtigio conſtitutum, ſed humanitatis eximio exemplo ſuis praeeuntem, quem paterno affectu complecteretur, cui fortunam fingere decerneret, ſi ſubſiſtere Halae, vel eo ex illius conſilio redire, per ſumtuum defectum licuiſſet. Soror humilitatis eſt Patientia, illi me totum deuouere amans, hanc colere non minus debui, multum me iuvit ipſius ſtudium in rebus anguſtioribus, magnas ſaepe aduerſitates et aerumnas eius ope tranquillus ſuſtinui, orans ſuperaui, maxime ſi nulla hominum maleuolorum culpa, ſed diuino nutu immiſſas perſenſi, quamque inſuperabile viſum fuiſſet onus, quod tot morbis mihi impoſitum dolui, ſi illius ſolamine et prae-

ſidio

ſidio caruiſſem. Reddidere tamen phyſica et moralia mala cum quibus toties conflictari debui, ſenſim me puſillanimem valde, citiusque multo deiicior timore futurorum, quam ſpe abblandiente erigor; ſique ſiniſtri aliquid occurrerit, illico quaſi in abyſſum moeroris abreptus ſubmergor, diuturna mea et aliorum opera vix inde extricari valens, extricatusque ſolitudinis amator meditationibus triſtibus et turbulentis indulgere ſoleo. Sed nulla certiore medela magis delinio curas meas, quam ſi illas omnes ſine reſeruatione aliqua mentali in ſinum Amicorum effundere, et deponere liceat; illos certe nulli auri pretio mihi aequiparatos maximopere veneror et deamo, gaudeoque impenſe, quod inter eos habeam quos probatiſſimos collaudare debeo, quodque non facile vllum eorum cum quibus arctius foedus ſemel inii niſi morte amiſerim, data dextra in ſeruanda fide tenaciſſimus ipſe, et religioſiſſimus. Verum iniuriarum memor, iniuſtumque et iniquum inferre aliis haud valens ſine ratione illatum mihi, famaeque meae minutulas adeo lacerationes rumino diu, vix concoquo, alta mente repoſiam gerens factorum verborumque, quae meritus mihi haud videor memoriam; quare etiam deceptus porro fidere fere ignoro, re-

conciliabilis interim facile, nullam vindictam ſpirans, at irae intus cohibitae meam ſolius valetudinem lento ſuo veneno depaſcendam relinquens, attentione interea ſeria ab vlterioribus illuſionibus mihi cauens. Caeterum ea gaudens felicitate, quod multos eorum qui me Medicum ordinarium conſtituere fautores ſimul ſingulares et Amicos coniunctiſſimos habeam, ſtudio indefeſſo et aſſidua cura moerens et dolens valetudini ipſorum collapſae conſulo, tumque ſi grauior vrſerit morbus, cauſamque vel non facile aſſequi, vel non facile extirpare licuerit, de doctrinae et ſcientiae meae rectitudine cito dubitare, ceſpitare, atque contriſtari multum incipio, Collegas doctiores in auxilium vocandos deſidero. Vbi vero apud alios de rerum gerendarum geſtarumque bonitate, aequitate, et iuſtitia conuictus ſum, atque conſilia mea ſiue amica ſiue medica negligi, laxiusue in actum deduci, atque integerrimae mentis ſignificationes plane ingrata rependi obiterque haberi intelligo, vel et delicatulis ad exceſſum et moroſis aegris nil placere ex praeſcriptis remediis video, gratis expoſita ſemel bis voluntatis meae ſinceritate, faciendorumque neceſſitate, id magnum meum vitium eſt, quod frigidior redditus compoſito animo, et ſine multo angore tales omnes

omnes ſibi relictos atque ad fatum ſuum properantes cernam, qui alioquin facile miſericordiae affectum mihi moueri ſentio. Etenim cum oblocutiones et contradictiones, vbi aliquam veritatem irrefragabilem conuictiſſimus tueor diu, tandem ſine mota bile, ſineque indignatione, difficulter admittam; cum hominum in genere omnium, qui ſana ratione duci renuunt, conſuetudinem quicquid agam naturaliter abominer et perferre neſciam; cumque obſtinata diligentia inhaerere diu vni eidemque obiecto etiam in ſtudiis mihi dilectiſſimis neſciam, ſed alterna lubentius amem, tanto magis taedet incaſſum voluere vnum ſaxum Siſyphi, oleum et operam perdere atque retardari admonitionum viſitationumue otioſa multitudine, quo minus ad alios abeam opem allatam amplexuros, nullos labores detrectans et reformidans magis, quam omni fructu certo carituros. Eapropter quoque conclamatorum aegrorum phthiſicorum, hydropicorum etc. maxime ſi agnati medelam impoſſibilem declaratam importunius, vt aliquando fit popoſcerint, minus aptus ſum Medicus. Diu vos detinui, Lectores, icone mei ipſius, quam forte veſtrum haud pauci nimis callide pigmentatam habebunt, naeuis rudioribus in conſpectum pleniorem producendis

inducto fuco aliquo ſatis artificioſe occultatis. Talem vero qualem me vobis exhibui, Deus me nouit, cui abditiſſimi cordium noſtrorum receſſus patent; talem familiares mei omnes inter quos verſari conſueui, delineaturi erant, neque latere debere lecturos, notas mihi mentis meae vires et imbecillitates cenſebam, vt diſpoſitio ad morbum quem expoſiturus ſum, corpori partim, partim animo debita, accuratius intelligeretur.

§. 5.

Diaeta Auctoris.

Sed antequam propius ad eum ipſum, et paulo ante acta accedam, diaetae regimen mihi obſeruari ſolitum expendendum eſt. De animi affectubus dixi, quorum moderamini quantum permittit humana mobilitas, ſummopere ſtudeo, cum exceſſuum leuiorum vitia ſtatim multo meo damno luere debeam. Ad reliquarum rerum non naturalium, vt Medicis antiquitus vocantur, catalogum delatus, aërem primo ſeligo. Fugerem equidem ſumma cura nebuloſum, pluuioſum, frigidum, veſpertinum, nocturnum, namque talem neruoſae meae compagi, capitique vnde propagatur inimiciſſimum conſtanter obſeruaui. Euitarem ſedulo nimis calidum, qui cephalalgiam grauiorem certo accerſit, cauerem mihi a viciſſitu-

cissitudinibus, hyeme maxime quando conclauia aegrorum pessimis consiliis, aut famulitii incuria, saepe in aestuaria abiere, sed his omnibus iniuriis me expositum toties vult vitae meae ratio, quae tamen tum eo maius oblectamentum ambulanti adfert, quando leni tepore afflans vernalis aura perspirationis successum egregie promouet. Cibum et potum quod attinet ab affectata ferculorum miscela, quam pessima consuetudine gulae nostratium hodie fere postulat, abstineo lubens et abhorreo; mediocri fere semper appetitu saltem pollens, ac sensum famis pene ignorans, victum simpliciorem amo valde, eumque quo blandior et lenior fuerit, quemadmodum lacticinia, eo maiori commodo fero, hincque eminenter acida, acria, aromatica, fere a mensa mea absunt. Coena parciori contentus lectum peto, tumque certius obdormiens somnum vires refecturum capio, quam si ventriculum largius paulisper impleuissem. A conuiuiis non semper sine decori laesione mihi abesse posse visus, errores in assumtis tum ineuitabiles ordinarie luo multiplicibus incommodis, a quibus non nisi quiete et seuera abstinentia me liberum praestare valeo. Potus ordinarius mihi est simplicissimus et optimus aqua, quam Lipsiensibus saturatioribus cereuisiis mihi

conducere recuſantibus olim ſubſtitutam ad hunc diem ſeruaui; cauendum vero mihi eſt quam religioſiſſime ab omni frigido, a quo cardialgias et colicas moleſtias certo certius reporto. Potum (Coffée) raro exemplo inſtar alicuius potionis medicatae vnanimi palatorum conſenſu papillas nerueas iniucunde afficientis parum aeſtimo, Chinae et caſcarillae decoctum aeque lubenter aſſumturus; ſique tamen ne inhumanus homo eum quotidie ad abuſum expetentibus videar, poculum vnum vel alterum inuitus degluitiam, calore, inquiete, prae cordiorum anguſtia, capitisque grauitate vexor. Tanto vero magis amo potum (Thée,) quem acceptiſſimum ingenti copia omni diei tempore ſorbillarem, niſi relaxari debilitarique ventriculum et appetitum deſtrui deprehenderem. Matutino interim tempore guſtui indulgens non mediocri quantitate illum capio admiſcendo vel ſuperbibendo, lactis recens mulcti, bonam partem, quod proficuum teneriori et debiliori meo corpori a multis annis ſenſi, quodque axungiam albam per iocum vocitare ſoleo, mihi curſuro per vrbem ſub attritu articulorum perenni, ſuppetias amicas laturum. Vinum quo nil aliud in rerum natura noui citius vires erigens, animumque ipſum ſimul recreans, biberem lubentiſſime, ſed vetat quotidia-

tidianum vſum ſi vel mediocri virtute inſtrueretur, ſubſequens ſtatim orgaſmus ſanguinis, raptusque eius ad caput, et oboriens ſubito exacerbatio habitualis cephalalgiae: Rhenanum, Burgundicum aquae confuſum melius fero, indeque addito ſacharo et corticibus citri amoeniſſimum mihi potulenti genus ſaepe paro. Seductus Amicorum blandiſſimis monitis atque prouocationibus interdum periculum facio, an vini liberaliorem pauliſper potum, ſi meraciſſimum fuerit et optimae notae, vel ſemel ſine poena ſubſecutura haurire licuerit, maxime quando mirifice animum recreari, et atras curas diſpelli ſentio, atque ex auſterioribus cogitatis euocatus ad ſales et confabulationes aptior euado. Sed ita mecum agunt omnis generis vina, ac agunt homines ſubdoli candidos mentientes amicos, ſed dulciſſimis verborum lenociniis inſidias ſtruentes, et ad ſeram poenitentiam neglectarum cautiorum a conſuetis fraudibus adducentes. Inquietas noctes, aeſtuans et graue caput, artuum languorem, mercedem non crapulae et ebrietatis, (nam per dies vitae vere ebrium et vinolentum me vidit nemo;) ſed compotationis amicae ad hilaritatem, quoties illecebroſis hoſpitis petitis ad eam perducor, mihi ſolutam accipio. Eapropter ſaepe mirari ſatis ſodalium fer-

ferreas frontes et obdurata capita nequeo, quando impune et vinum liberaliter potant, et fumum tabaci ſugunt, (quam artem ego nunquam addiſcere potui, multis modis a commilitonibus academicis inſtructus) altera die mihi querenti hilares et ſalui obuiam incedentes. Vbi vero ſtrictioribus in cibo et potu capiendo regulis me ſubmitto, vt mihi relictus ſoleo, valeo mediocriter, ſomnoque equidem haud prorſus interrupto quem fere ignoro, ſed tamen placido ſatis potior, maxime imminente diluculo. Deberem ſcio, mature lectum petere, ſomnumque ante adultam noctem allicere, quem Medici omnes tanquam maxime vtilem collaudant, ſed veſpera aduentante atque grata mihi ſilentia indulgente, a diurnis turbis et negotiis liber ad ſtudia redeo, quibus fere penitus valedicendum erat, niſi hoc vacuum tempus meum facerem, mane ab interpellationibus nunquam tutus. Ea in re ſi lubens et volens peccauero, per diem quietis neglectu peccare cogor, inter prandendum adeo et coenandum ſaepius a menſa auocatus, motuque muſculari non ad iuuandum humorum circuitum, non ad promouendas coctiones, non ad addendum ſolidis ſuum robur, ſed ad emungenda liquida, ad atterendas et exhauriendas vires vacare iuſſus,

iuſſus, quibus dilapidatis vim animi ipſius non raro obtundi ſentio. Excernendorum et retinendorum ratio inde bonam partem perſpicitur, quando ſub vultus mei ſudore panem meum manduco; alvus fere nimia et fluxior, abſunt vero ſinceri ſanguinis euacuationes, multumque laetor, quod haemorrhoidum molimina et fluxiones, a quibus raro vel nunquam decurſum omnem vitae illorum qui iis laborant contuitus, ſolida bona, ſed e contra morboſas afflictiones innumeras obſeruaui, quasque cane peius et angue reformido, nunquam per Dei gratiam expertus ſum. Multum dum haec mihi contigit felicitas tribuendum credo parciori vſui vini, et blandiori diaetae, cuius in genere legibus obſervatis paulo curatius acceptum refero, quod debilis homo 44. annos viuendo abſoluerim, multosque Commilitonum quos habui iuuenes virosque athletice valentes, qui ſecus fecerant, praematurum fatum ſubire viderim. Valedixiſſem autem diu opinor orbi et meis chariſſimis nihilominus, niſi ſagax in futurum atque probe intelligens, id quod caret alterna requie durabile non eſſe, ab aliquo retro tempore ſingulis annis per 4. et vltra hebdomades ſuperatis vrgentiſſimis etiam difficultatibus, iugum practicum humeris graue excuſſiſſem, atque petendo

petendo rus viribus corporis reſarciendis et animo relaxando ſtuduiſſem. Nullibi vero maiorem in corde pacem et tranquillitatem ſenſi, quam in amoeniſſimis illis vallibus, quos corona Sudetorum montium ambit, ibidemque vel in thermis S. Iohannis vicinae Bohemiae, vel in vico illo prope Hirſchbergam, vbi non minus celebres per Secula thermae ſcaturiunt, vel in pago Petersdorff commoratus, per oculos mentem montium petrarum, nemorum, pratorum, ſegetum, lapidum, fontium, fluuiorum, riuulorum mira varietate et elegantia obambulando oblectans aquas ſoterias plerumque potaui. Aliquando etiam cura lactis vaccini (quae dignius cura mille florum audire poterat, quam illa putida vaccini lotii, vt quondam Gallis aliquibus magnis ſuis ingeniis deſipientiae, quid adhaerens habentibus placuit), non ſine magno emolumento vſus ſum, Vratislauiamque meam dein inſtaurata vtcunque valetudine iterum ſalutaui, ad labores ordinarios aptior et emendatior. Atque adeo ingentem affectum erga illa loca quibus animi et corporis medelam me toties acceptam retuliſſe palam aio, remotus etiam in praecordiis radicatum ſenſi, vt eo incaleſcens poemate germanico, exſtantibus licet hodie tot elegantiſſimis et abſolutiſſimis aliis, quae me ponere

ponere calamum iubere debuerant, amoenitates ſudeticas habente publicum onerare auſus fuerim. Sed o bone Deus! quam atra, quam tragica Vitae meae ſcena in iucundiſſimis illis ſeceſſubus quicquid natura pulchrum producere apta eſt coagmentatum et adunatum mea ſententia complectentibus, mihi ludenda pandebatur, de qua quidem antea ne per ſomnium cogitaſſem. Non eo traxerant nolentem fata, ſed duxerant volentem, et ardenter volentem, aeternusque ille a ſapiente Prouidentia coordinatus rerum nexus, cuius iuſſubus neſciendo coeca obſequia praeſtant, liberrima hominum decreta et conſilia, mihi certe ſoli non eludendus, me diſcedere iubebat ex vrbe patria. Hic nexus quem loquor, imperioſe iniungebat cum iter facerem Hiſchbergam et Petersdorffium, atque hic loci in aedibus Paſtoris ſacri vigilantiſſimi Viri eruditione et integritate vitae, meis laudibus maioris mihique amiciſſimi, remotus ab omnibus neceſſitudinis vinculo, mihi iunctis aegrotarem periculoſiſſime, morti ſubeundae me accingerem ingrederer ipſum limen aeternitatis, ſed nutu diuino nondum exacta dierum emetienda ſerie retrogrederer in hanc miſeriarum vallem, Medicus teſtis futurus idoneus, non artis potentia, non prognoſi humana, (quae mirum quantum

tum ſaepe fallit, etiam ſibi ſapientiores viſos,) pendere, ſed coelitus defluente lege decretorum ordinem promulgante ſtabilitos eſſe viuendi et moriendi terminos.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

§. 6.

Geſta et ingeſta ante morbum.

Feceram elapſo anno cum in thermis Hirſchbergenſibus degerem ad tempus, vocatus medicinam terrarum harum longe lateque patentium domino, Sacr. Imper. Mai. Conſiliario intimo, Regnique Bohemiae Iudici ſupremo, Illuſtriſſimo Comiti de *Schafgotſch* iſchiade moleſta laboranti, auſcultantisque patienter meis conſiliis et feliciter perſanati magnam gratiam inieram. Iam anni MDCCLI. menſe Iunio ad finem vergente ille Praga ad me transmiſſis literis humaniſſimis quaerebat, quomodo omnium optime pathematibus ſuis hypochondriacis, vita ſedentaria grauioribus redditis obuiam iret, ſibique ab incurſu iſchiadis quam valde metuebat ſecure caueret. Suaſeram praemiſſa venae ſectione Pyrmontanarum acidularum vſum, ille annuens terrasque ſuas viſitaturus curationem in thermis inchoatum iri repetitis literis mihi ſignificabat, meque vt eum

eum inuiſerem, ſucceſſumque rerum indagarem, atque ad valetudinem conſeruandam reſpicientia praecepta ſalubria ſuggererem, gratioſe inuitabat. Accedebant varia variorum Amicorum acceſſum meum exoptantium iterata monita, atque quod maximum erat increſcentem, de die in diem magis intus ſentiebam petulantem illum pruritum videndi denuo montes Sudetos, quos quaſi per incantationem colo, et pictos ante oculos vbicunque locorum degam, mecum circumfero. Sed auolare enixius nitentem fortius Vratislauiae retinebant negotia practica, decumbentiumque talium querelae quibus officia et amicitiae mutuae teſtimonia debebam. Ecce autem dum haereo, dumque vinculis elabi neſcio, quaerit a me ex veteribus et integerrimis Amicis ſpectabilis inter noſtrates Mercator, placeret ne mihi ſecum perniciſſimis equis, rhedaque ad prohibendas omnes aëris iniurias affabre conſtructa iter facere Hirſchbergam, atque inviſere communem aliquem noſtrum Amicum Mercatorem ex famigeratiſſimis huius Vrbis, impatienter nos deſiderantem. Non moror amplius, porrigo dextram, atque me negotiis meis proſpecturum, atque certiſſime ipſo comite Vratislauia abiturum polliceor. Euehebamur itaque altera die vna, coelo exiſtente

ſtente sereniſſimo, atque ambo, hilares ſoſpites ac ſalui abſoluto ex voto noſtro itinere, cui equidem aliquam partem noctis, ſed omnino ſudae impenderamus, Hirſchbergam deferebamur. Obviam incedebat humaniſſimus hoſpes atque honorifice exceptos inuitabat ad prandium, quod capientes non minus animos ſatiebamus ſuauiſſimis colloquiis, quam ventriculos cibis optimae notae ſanitatem nequaquam abſona illa ſaporum inter ſe pugnantium miſcela offendere aptis, carnibus potiſſimum elixis et aſſis, omnium bellariorum loco paucis quibusdam ceraſis maturis et dulciſſimis ſubiunctis. Neque etiam bibendo in frugalitatis leges peccabamus, ſed Vinum Hungarici et Rhenani generoſiſſimi modica quantitate contenti Deo dicturi gratias mature a menſa diſcedebamus. Deinde meridie et veſpera inter confabulationes, iocos, et vrbanos ſales abſumtis, deguſtataque leuibus labris coena admodum modica, quaeque vere medica audire poterat; ibamus cubitum, ipſeque ego alto dulciſſimoque ſomno merſus ſeroque ſatis expergefactus mire inſtauratas vires, totiusque corporis alacritatem perſentiebam. Die hac, quae prima Augusti atque Dominica erat, mane ingrediebar cum ſociis templum laetus et tranquillus, auditaque concione ſacra

retro-

retro veniens in domum chariſſimi hoſpitis, menſae eius meridianae aſſidebam, atque appetitu haud mediocri capiebam cibos digeſtu faciles, benignique ſucci, quibus nil inerat, quod gulae per corruptos ſeculi mores nouas indies titillationes expoſcenti blandiendo, ſanitatem peſſundare potuiſſet. Vini ne quidem menſuram dimidiam partim Hungarici partim Burgundici praeſtantiſſimi exhauriebam. Abſoluto prandio Illuſtriſſimum Comitem in thermis inuiſere meditans atque deinde Petersdorffium vnum milliare a thermis diſtans petiturus, in aedibus amici integerrimi *Volkmari* mei per dies tres commorari geſtiebam, quare itineri huic temperatiſſimo ſub coelo me accingebam, ſalutatoque Comite qui ex vultus ſpecie collectam bonam valetudinem meam mihi congratulabatur, circa veſperam optimo illi viro reddebar. Iam vero, ſed tecta adhuc et clandeſtina nequitia, ſeſe manifeſtabant primordia certe nullo ſigno anamneſtico praeuidendi, tremendi interim mali, quod ex decreto prouidentiae hic experiri debebam, quodque praeter omnem ſpem et imaginationem meam exantlaui. Percipiebam hac eadem veſpera nullo prorſus appetitu poſt tot ſuccuſſationes, quas rheda per vias valde lapidoſas vectus ſuſtinueram, in coenam ductus, leuia

quaedam in ventre murmura et tormina; mihi alioquin ex leuiſſimo errore diaetetico admodum familiaria, quae aluum ad deiiciendum ſollicitabant. Videbar mihi cauſam quaeſitam inuenire in cibis, copica forte quanquam mediocri, tamen vltra vires digeſtionis extenſa adſumtis, et aliquo corporis per auram veſpertinam refrigerio, quod tenuiore veſte leuiter obtectus, paſſus fuiſſe poteram. Sperabam interim in lecto tranſiturorum incommodorum, quae ſtudio ſilentio premebam certiſſimum lenimen, verum perdurantibus iis et ingraueſcentibus a ſomno deſideratiſſimo reuocabar ſaepiuſcule, nocteınque inquiete et doloribus iactatus turbis ſuis, grauiores inſecuturas annunciantem, pene vigil tranſigebam.

§. 7.

Dies morbi prima. Die altera, quae ſecunda Auguſti erat, reſurgens incredibile ſentiebam virium decrementum, ita, vt licet loca illa amoeniſſima, quae alioquin obambulando ſumma voluptate viſitaram, oculos contuentis omnino paſcerent, atque allicerent, tamen feſſo et artubus fracto, e *debilitas ſumma.* conclaui egredi haud liceret. Igitur remanere coactus infuſo potu (Thée) cumulatas forte in ventriculo et inteſtinis ſordes eluere, diarrhoeamque quae ingruebat *diarrhoea torminoſa.* valde torminoſam ſibi ad tempus permittere,

mittere, atque interim a cibo omni abſtinere decernebam, eadem methodo qua plus ſimplici vice in ſimilibus caſibus per ſolam abſtinentiam et quietem mihi conſulere ſolitus fueram. Appropinquabat prandendi tempus, accedebam ad menſam renuens, ſed ab humaniſſimo hoſpite inuitatus ſociumque nanciſcebar optimum Virum *Ioannem Philippum Herbſt*, qui ante paucos menſes Halae diſſertationem *de noxia Sudoris prouocatione* pro Gradu Doctoris ventilauerat, cuique diuina Prouidentia proſpectura meis miſeriis iniunxerat, hic Petersdorfſii ſedem figeret, atque Praxin ſuam clinicam inchoaret. Recentem Academiae mihi peramatae ſtatum didiciſſem ex eius fida relatione lubentiſſime, atque inter colloquia noſtra ſimul morem geſturus amicis hoſpitis monitis deguſtaſſem aliquid de iuſculo appoſito, et elixa carne, ſed nauſea inſuperabili in Vomituritiones inclinante fatigatus, atque horripilatione repetita vexatus, recedere a menſa atque muſeum illius petere iubebar, in quo lectulum ſtratum in meos vſus reliqueram. Vix eum ſumme languidus ingreſſus eram, perpetuis torminibus comitibus circa horam pomeridianam ſecundam, ecce horrore et frigore intenſiſſimo corripiebar per horulae ſpatium, totum corpus ruditer concutien-

appetitus proſtratus.

nauſea.

frigus febrile.

cutiente, et vomituritiones molestissimas mouente. Sequebatur immanis aestus, pulsabant totius corporis arteriae ad vltimas earum ramificationes, incredibili dolore prehendebatur caput, tamque validos persentiebam carotidum ictus, vt in horreo vicino tribula frumenta excutientes agricolas adesse persuasum mihi haberem, ideae mihi illudentis falsitatem ab hospite beneuolo statim edoctus. Dum vero ita tristi hoc motuum exorbitantium apparatu non in externo saltem corporis cortice, sed in altioribus etiam eius penetralibus subdolus exardescebat ignis, multo maiori atrocia insurgebant intestinorum dolores, atque non distrahentem saltem, tendentem lancinantem, vt antea sed simul vrentem sensum inferebant. Vrgebat simul clamosa sitis, cui aeque ac aestui syrupis ex horaeis, taleolisque citri leniмen parauissem, nisi torminosi dolores contradixissent, aut saltem potu simplici frigidiusculo, qui linguae sicciori iucundissimus futurus erat, incessissem obuiam, si licuisset. Namque manifeste simulac ille suo in ventriculi parietes contactu agere a me obseruabatur, augebantur dolorosae constrictiones fibrarum intestinalium, licet ardorem paulo mitiorem mihi persentiscere viderer; coactus igitur bibebam largiter infusum potum (Thée,) sed leuiter

aestus, cephalalgia ingens.

dolores intestinorum summi.

sitis.

noxae a potu frigidiusculo.

leuiter faltem faturatum, leniterque tepidum. Elapfis circiter tribus horis erumpebat fudor, isque fatis largus, eaque propter paroxyfmum finitum iri iudicabam, morbum aut ephemeram febrem, quam quandoque experiri foleo, aut intermittentem quandam habens, cras vel perendie nouo acceffu redituram. Hac fpeciofa cogitatione animum erigens non curiofe meditabar *Galeni*, qui intermittentis febris fub primo ftatim infultu ab ephemera fegregandae diagnofin fuppeditat, fubtiliorem doctrinam, [1]) nefcio an femper tutam certamque: lubens quippe futuros dies certius aegritudinis ingenium monftraturos expectaturus eram, dummodo aegritudini ipfi nil periculofi ineffet, quod tum febris intuitu fudoris eruptio innuere videbatur. Perdurabat interim cum acutiffimis torminibus naufea, petebam igitur ab Hofpite vt menthae mihi in his cafibus fi febris abeft, valde probatae, ex horto fuo foliola quaedam peteret; conficique curabam cum aqua feruente infufum, cuius pocula quaedam inftar potus (Thée) forbillabam fine omni fructu. Medelam nihilominus malorum meorum anxie exoptans ferebar in abfynthium, quod hortus itidem fubminiftrabat, breuique temporis fpatio parabam mihi exinde vinum medi-

fudor.

fpes folutionis.

vfus menthae et abfynthii.

1) De Crifibus lib. II. c. 3.

medicatum, cuius tria vel quatuor cochlearia pariter fruſtra capiebam, namque ne hilum ab iis mitigatam nauſeam, neque tantillum torminibus detractum deprehendebam.

§. 8.

Exacerbatio ſymptomatum.

At enim vero non locum hic eſſe idoneum menthae et abſynthio ſtatim intelligebam; turpiſſime me deceperat mendax ſudor, calidis potulentis et anxietatibus ex dolore prognatis ſolis ſi non expreſſus, ſaltem ſuſtentatus; capitisque dolor haud omnino ceſſans, ſed increbeſcens potius denuo, ac arteriarum temporalium pulſationibus creberrimis exacerbatus, ſine digiti carpis admoti miniſterio, febrem continuam adeſſe monſtrabat, inflammatoriam diatheſin inteſtinorum ſecum habentem, et ancipitem valde exitum minitantem. Adſtabat lectulo meo talia non ſine ſollicitudine a me audiens laudatus *Herbſtius*, mecumque hac morbi idea naſcente de potu conueniente eligendo cogitans ſerio dolebat, me gratis acidis prohibitis, nauſeare omnes, ſolo infuſo potu (Thée) excepto, quod ego quidem ſimplex omnino, ſaltem tanquam aquam tepidam contuitus, ſummum attenuans, diluens, obtundens, abſtergens, refrigerans, imo vero Boerhaauianorum aſſertorum memor

febris inflammatoria.

potus tepidus.

mor magnum quoque anodynum habebam, tutusque retinendum putabam, donec aptius occurreret, frigidiuſcula omnia nulla ratione ferens. Vt autem topicis quoque doloribus ſubuenirem, abdomini applicabatur leniens fotus, atque *fomenta.* ad latentem acrimoniam inuoluendam et eluendam infundi curabam emollientiſſimum clyſma ex lacte cum vitello ouo- *clyſma leniens.* rum ſacharo et oleo paratum. Rabie autem dolorum de hora in horam inſurgente, atque non amplius ſine eiulatibus ſuſtinenda permotus, laudani liquidi *laudanum.* Sydenhamiani, quod praeſto erat 12. guttulas deglutiebam. Nullum vero ab his omnibus leuamen, quin potius ſub euanida quiete dormiturienti pacem nullam, nullum ſomnum indulgente, luculenter experiebar valde valida exiſtente dolorum cauſa, parum ſolatii reſidere in ipſo opio quamuis anodynorum ſummo, in ſenſum ſaltem agente, aut perbreuem eſſe doloroſarum ſenſationum obliuionem, quae permanente cauſa, et exſpirante operatione anodyni, eadem grauitate iteratas adflictiones certiſſime adferunt. Vt igitur quam clyſma bis applicatum attigiſſe non videbatur, veram cauſam malorum altius in tenuium inteſtinorum volumine ſtabulantem, cruditates mole et acrimonia peccantes efficaciori ſimulque ſatis ſecuro remedio lo-

co ſuo mouerem, atque quam citiſſime eiicerem, a vomitorio etiam leniſſimo ob cognitam mihi neruorum meorum irritabilitatem abhorrens, ſaturatiſſimum Rhabarbari infuſum quod *Herbſtius* meus arti pharmaceuticae antea addictus addita terra fol. tartari ocyus praeparabat, aſſumere decernebam. Sine mora aptam doſin, quae mihi porrigebatur, die ad finem ſuum vergente deglutio, verum quod non facile expectaſſem, breui poſt non leue dolorum augmentum inde percipiebam, locis illis inteſtinorum, quae maxime laborare diſtincto ſatis ſenſu intelligebam, roſionem aliquam maiorem et morſicationem patientibus. Nulla culpa cadere poterat in rheum, ſtimulo equidem ſui generis, ſed admodum leni agens in villos nerueos, dum ſuam operationem exequitur, igitur terra fol. tartari accuſanda erat, quanquam blanda ſua ſaponacea indole magis, quam eminente ſalina acrimonia fibras contractiles molliter vellicans; plurimum autem ſine dubio tribui debebat exquiſitae inteſtinorum ad ſpaſmodicos motus ſollicitatorum ſenſibilitati. Quicquid ſit, aliquot certe pocula infuſi potus (Thée) educenda erant, antequam medicamentoſum hoc torminum additamentum iterum deliniretur. Fuerant vero ante aſſumtionem rhabarbari deiectiones ſatis frequentes, atque

infuſum rhei.

tormina peiora.

atque propterea non licebat remedii vim quam exerebat accuratius determinare; ſaltem niſi fallebar poſt aſſumtionem ambitus locorum dolentium ſeſe videbatur extendere, dolorque ipſe vt ſtatim ab aſſumtione, ita et ab operatione inſequente magis increſcere. Haec omnia ita agebantur donec aduentaret veſpera, ea vero in noctem inclinante praegreſſam deiectionem atrociſſimis torminibus ſtipatam nouum inſequebatur morbi phoenomenon, nixubus laborioſiſſimis proritatus omnium fere per duos dies aſſumtorum vomitus. Licet vero hic vires languidas mirum quantum, et ad ingruens animi deliquium proſterneret, ſpem tamen languidam ſimul erigebat, fore vt eiecta breuiore via minera morboſa illa pergere deorſum per longiorem tractum inteſtinorum iam ceſſaret, finisque omni morbo ita imponeretur. Satis ſcilicet frequentia diarrhoearum etiam contumacium obuerſabantur animo exempla, quae vomitu vel natura vel arte excitato protinus conquieuerant. *Vomitus.*

§. 9.

Sed o me miſerum! fallax hoc erat ſolatium, non colophonem meis aerumnis imponebat vomitus, ſed potius quaſi claſſicum canens, aditum apertum

 pande-

pandebat formidoloſo hoſti, qui hactenus laruatus deleteriam ſuam indolem obtegerat, iam vero illam plenius conſpiciendam mihi exhibebat. Nimirum quanquam ventriculus omnino vacuus laborioſiſſimo concuſſu redditus fuiſſet, nihilominus nil decedebat dolorum tormentis, quin breui poſt atrocius vrgentibus deiectionibus perpetuae iungebantur vomitiones, amariſſimam ardentiſſimam, rodentiſſimam, putridiſſimam, tenaciſſimam bilem conatibus primo inanibus, dein ex imis ſurſum impetuoſe agentibus exprimentes, nauſeamque prorſus abominabilem cientes. Triſtis haec rerum facies ita mecum ſollicitos reddebat adſtantes amicos, vt ſponte aluo excretorum indolem non obſtante teterrimo foetore indagarent, ac dein mihi multa flaua fuſca, bruna, nigreſcentia, ſimilia vomitu redditis, ſed mucoſa ac viſcida valde, atque picea tenacitate vaſi excipienti agglutinata reiecta fuiſſe referrent. Tum vero demum liquido mihi conſtabat genuina morbi diagnoſis, mihique non amplius obſcurum eſſe poterat, cholera eademque ſatis atroci, me laborare, ſimultaneis deiectionibus et Vomitionibus dolore intenſiſſimo inteſtinorum ſtipatis verum feralis huius morbi ingenium abſoluentibus. Cauſa mali proxima a delictis diaeteticis haud dedu-

Vomitiones et deiectiones ſimultaneae bilis putridae.

cholera.

cauſa bilis acrimonia.

educenda, facile his ipſis deiectionibus
: vomitionibus in aliorum meosque
:nſus incidebat, ardorque et morſus
uem toti oeſophago ſaltem praetereun-
o et ſupergrediendo inferebat, haec
ancida et corrupta bilis vomitu excuſſa,
durensque eius vaporoſus nidor, qui per
uces adſcendens narium adeo interio-
a ſenſili membrana pituitaria veſtita fe-
iebat, exedens eius corroſiuum, cauſti-
um, tantumque non venenoſum inge-
ium clamabat. Neque mihi adeo diffi-
ile erat, inuenire rationes ſufficientes,
uibus peſſimae actiuitatis haec acrimo-
ia ſuos in corpore meo natales debe-
at. Progreſſus eram vltra annos iuue- *generata, aetate.*
iles, eaque aetate gaudebam, cui fami-
iarem eſſe inter varios alios morbos
Choleram notauit *Hippocrates.*[1]) Labe- *aeſtate.*
atur ea anni pars, quae aeſtatem fugi-
ntem atque autumnum imminentem
omplectitur, quam morbus hic obſer-
ante *Sydenhamo* vnice eademque pror-
us fide amare conſueuit, quam primor-
lia veris hirundines, aut inſequentis tem-
eſtatis feruorem cuculus,[2]) ipſeque
nenſis Auguſtus aderat, intra cuius ter-
ninos fere ſaltem ille graſſari ſolet, eo-
lem laudatiſſimo viro obſeruante. Cu- *curſu, inſolatione.*
urreram praeterea per dies bene mul-
tos

1) Lib. III. aph. 30.
2) Sect. IV. cap. II.

tos antea per plateas, aestiuis caloribus fatigatus; igitur turgor inde eminens sanguini erat inductus, rapidiorique motu ille per sua vasa fuerat prouolutus, insuper aestuantis perniciosissimum iter iuuarat actio musculorum voluntaria, creberrime et vehementer repetita. Validissimo attritu et calore generata sic fuerat ex salibus blandis ammoniacalibus sanguinis Materies alcalescens et acrior, quae cum eodem in orbem proiecto, alluens organa colatoria omnia, nullum aptius inuenerat in quod ex eius sinu deponeretur quam hepar, nullumque humorem cum quo maiorem analogiam aleret quam bilem; quare haec copiosius iusto secerni, a blando suo amarore desciscere, ac intensiorem acrimoniam contrahere debuerat. Potuissent omnino ita generatae in sanguinis Oceano sordes antequam bili pabulum praeberent, vitiumque affricarent, bonam partem difflari per cribrum cutaneum, sed successerant forte aestuationibus diurnis interdum vespertina et nocturna leuiter tecta refrigeria, quibus illae retinebantur in corpore, atque versus interiora viscerum territoria tanto magis retroagebantur. Ita certe satis sufficiens ad excludendum morbi fomitem adfuerat occasio, verum praecipuam eius genesin taediis iteratis insonti excitatis, iraeque in quam

perspirabilis suppressione.

ira suppressa.

quam alioquin parum feror, poſt patientiam ſaepius laeſam accenſae, quam vero cohibitam intus deflagrare permiſeram, aduerſitatumque abditarum taciturnae ruminationi deferendam habebam. Definita pathemata animi definitos ſequi in corpore motus lege immutabili, ſed non bene explicabili certum eſt; ea vero iracundiae vel apertae, vel ſuppreſſae teſte experientia indoles, vt in ductus neruoſos biliarios praecipuae agat, iterque bilis penitus peruertat, vel conſtrictione iis inducta retrorſum verſus officinam ſecretionis eam vrgendo, vel conuulſiua ductuum motitatione ipſius effuſionem copioſiorem proritando. Hoc ſi acciderit, in duodeni flexura ſenſim ipſa colligitur et coaceruatur, morasque nectens maiorem adhuc acrimoniam quam aduenieus adferebat, induit, dum ſal eius natura ad verum alcali putridum procliue, ad eam degenerationem propius accedens per ſtagnationem, ipſam rancidam, rodentem et vrentem efficit. Prorſus tale quid contigiſſe in meo corpore perſuaſiſſimus eſſe poteram; etenim ab aliquot retro hebdomadibus dum iteratis animi aegritudinibus angerer, perſenſeram et circumtuleram mecum circa cordis ſcrobiculum atque ea in regione, vbi incipiens duodenum parumper adſcendens primo, dein deſcendens ſitum

ſenſus ponderis praegreſſus, circa cordis ſcrobiculum.

ſuum

ſuum obtinet, ac flexum verſus ſpinam, eiusque vertebras lumbares fertur, iisque transuerſim incumbens ad renem ſiniſtrum excurrit; circa haec loca inquam diu permoleſtum et conſtantem aliquem perceperam ponderis ſenſum. Iam vero hic ſedem eſſe collecti ſenſim rancidi, olidi, cauſticique redditi bilioſi laticis, hactenus quieti, nunc autem ex latibulo ſuo prorumpentis, ac tarditatem poenae grauitate penſaturi luculenter experiebar, idemque dein per omnem morbi decurſum fallere neſcius ſtabilis ſenſus edocebat.

§. 10.

Aetiologia. Ex hoc dolorum centro, veluti ex Pandorae pyxide omnia orbis infortunia, per totum corpus, ſed per volumen inteſtinorum praecipue excurrentes propullulabant omnes triſtiſſimi effectus, cauſa eorum in longum et latum, ſurſumque et deorſum, vomituum et deiectionum miniſterio ſeſe diffundente.

dolorum. Millenis tunc acerrimis ſtimulis ſumme irritabilibus parietibus inteſtinorum infixis, villosque eorum ſenſiles et mobiles vellicantibus, diriſſimae oboriebantur eorum ſtricturae et conuulſiones, quaſi ipſis rupturae periculum inſtaret, hoc nimirum ex morſubus acutiſſimis, torſionibus, tenſionibus, roſionibus, puncturis,

ꝯturis, terebrationibus, coniicere ipſa ſibi relicta ſenſatio iubebat. Deinde inteſtinis perpetuo punctis irritatis et vellicatis, ſmegma ipſorum quo inungitur et defenditur cruſta villoſa abradebatur neceſſario et excutiebatur, illa denudata penitus remanente, ſenſuique exquiſitiori eapropter expoſita. Porro cum ipſa bile ſuccoque pancreatico ſtimulo copioſius ex ſuis ductibus expreſſis, in vaſa inteſtinorum numeroſiſſima, eaque maxime quae halituoſum fluidum internae humectationi deſtinatum ſuppeditant, ex vniuerſa humorum maſſa alliciebatur vberior horum affluxus a vellicante materie; vnde ob ſummam dum deiectiones profuſiſſimae euadebant liquidorum iacturam, vt lingua ſitiens benigno ſuo latice, ita totum corpus tenuiſſimis ſuccis priuabatur, ex quorum defectu ingens virium imbecillitas emergebat. Tandem vt conſtrictiones doloroſae fibrarum excurrentico per tunicas ab iisdem effictas vaſa ſanguifera coarctando, motum cruoris ſuffocando, vel et cruorem in extremitates eorum tenuiſſimas intrudendo inteſtinorum phlegmonem inuitare poterant; ita fluens ſuper internam horum ſuperficiem liquamen cauſticae bilis eidem rodendo, adurendo eryſipelaceum ardorem inferre aptum erat; non ergo difficulter ſuffi-

excretionum.

ſitis.

debilitatis.

ardoris interni.

cientem

cientem rationem aestus interni exquisitissimi mihi hi reddere poterant. Tam impense autem hic erat intolerabilis, vt patientiam omnem et philosophicam, et christianam vinceret, neque apta satis mihi verba occurrunt quibus illam horribilem torturam describam. Fingite vobis, Lectores amantissimi dum misericordiae affectus vobis nascitur, in duodeno locatum aliquem Aetnam, flammas et aestuantes fumos per ventriculum et oesophagum exspuentem, picem vero liquefactam per intestina ardente fluuio, veluti famosa per relationes publicas Vesuuii Laua deturbantem; (namque vere Hippocrati adeo displicentia excrementa ex flauo et fusco in atrum vergentia, tanto dolore ac si voracem ignem continerent ano effundebantur.) Fingite, furias sorores in rabiem actas vagari cum accensis facibus per volumen intestinorum; cogitate, omnem illorum internam superficiem suo tegmine orbam, crustaeque villosae denudatam nerueam lanuginem qua patet, puluere cantharidum conspersam, et tum demum iustum, habebitis indicibilium cruciatuum meorum ideam.

§. 11.

Prognosis formata. Qualem autem iam his miseriis obrutus inter anxia suspiria, inter eiulatus et gemi-

gemitus, quos continere haud poteram, formaſſem Prognoſin! ſane nullam aliam videbam, niſi acerbam et funeſtam. Vna ſaltem mihi ſuppererat felicitas, deſperate decumbente corpore, non obſtante violenta febre, mens ſaniſſima, quod quidem diuini beneficii genus tanto magis aeſtimabile habere debeo, quo rarius aegris cholericis accidit, namque de illis diſertis verbis inter alios notauit noſter de HELWICH, quod *capite turbentur et mente percellantur.* [1]) Ipſe ergo recordabar variorum, quae in antiquis et recentioribus Auctoribus de hoc morbo legeram, ipſe in memoriam reuocabam aegros meos quos ſanatos, morti proximos, et mortuos videram. Ipſe meis oculis contuebar ſonticum meum malum, intimiusque totum eius ingenium dignoſcebam; ipſe perdurante periculo mihi ſuperſtes manens Medicus peruagabar accuratius omnem medicinalis materiei apparatum, quem vero vanum eheu! et tantae morbi ſaeuitiei longe inferiorem futurum exiſtimabam. Noueram quoque bene quam truculento mortis genere mihi diſcedendum eſſet, vix enim aliter reminiſcebar aliquem periiſſe cholera, quam diriſſimis conuulſionibus. Occur-

1) Hiſt. Morb. Vratisl. 1701. p. 45. et 1702.

Occurrebant mihi iniuſſa et vltro ac coram quaſi ſeſe conſpectui meo offerebant cholera iugulatorum hominum cadauera, quorum extiſpicia depicta apud Autores inueniuntur. [2]) Horreſcens igitur videbar mihi viuens adhuc iam conſpicere proprium duodenum et ieiunum meum cum ilei parte, hic foedis ex rubro coeruleſcentibus et nigreſcentibus maculis conſperſum, atque gangraena mortifera depaſtum, illic liuida hoſtiliter furentis bilis flauedine tinctum. Neque minus haerebant memoria lectu triſtiſſima de citiſſimo huius morbi exitu magnorum Medicorum praeſagia, animoque obuerſabantur aegri quidam ex meis, quos tardius ad acutiſſimum malum vocatus optimis auxiliis ſeruare nequiueram. Noveram denique robuſtos et athletice valentes Viros non tertio aut quarto ab inuaſione die, vt aliquando fit, ſed intra 24. horarum ſpatium finita iam tragoedia abominabili hoc morbo, quem primum a peſte habuit *Hoffmannus* neci traditos. An igitur ſpem vllam concipere

2) Vide haec apud Dolaeum Encyclop. Med. Lib. III. c. 4. p. 428. Bartholinum hiſt. Anat. Cent. II. obſ. 81. in Miſc. N. C. Dec. III. Anno VIII. obſ. 180. apud Henricum Henrici diſſ. de cholera Halae 1710. habita itemque in Actis Med. Berol. Dec. II. Vol. VIII. p. 80. apud Riolanum in Anthropogr. Lib. II. obſ. 20.

pere licebat mihi? qui teneriorem et debiliorem inteſtinorum meorum fabricam a tot annis per millena phaenomena didiceram; qui dolores ſummos, eosque ſimul ardentiſſimos patiebar; qui pulſuum ictus celerrima frequentia funus maturaturos in temporibus et carpis percipiebam. Quis Medicorum, ſagaciſſimus ſi fuerit, in hiſce anguſtiis non diffiſus fuiſſet ſuae arti? Ego vero eius ſolamine deſtitutus, nilque habens in orbe vniuerſo quo confugerem, plenus fiducia confugiebam ad gratiam Dei, meritumque Seruatoris Ieſu Chriſti, poenitens amplectebar, interque pias meditationes, quas interrumpere prorſus nequibat importuna licet dolorum nequitia, noctem tranſigebam. Cogitabam interim de nouis remediis Petersdorffii mihi denegatis, altera die ſi ſupereſſem, ex vicina Hirſchberga afferendis, rhabarbari infuſo cuius cochlearia quaedam adhuc capiebam, adiuto potu Thée ſubinde adſumto, donec illorum particeps fierem, diluendas, abſtergendas, et leviter deorſum deturbandas bilioſas ſordes relinquens.

§. 12.

Diſpulerat roſeo radiorum ſuorum fulgore, moeroribus atque anxietatibus triſtes ſuppetias ferentes tenebras, diem- *Dies morbi ſecunda ſanguis nullus excretg.*

 que

que nouum adduxerat amica miſerrimis etiam aegrotantibus aurora; nil interim leuaminis morbo ipſi afferens, in pleniorem potius lucem aerumnas meas poſitura. Mirabar eadem manente malorum facie nondum ita exediſſe voracem acrimoniam inteſtinorum vaſa, vt ſanguinem plorarent, congrumatumque eiiciendis excrementis immiſcerent, quod cum *Schenckio*,[1]) *Syluio*,[2]) *Platero*,[3]) *Panarolus*[4]) factum memorat, qui breui tempore libras XII. ſinceri ſanguinis Vomitubus et deiectionibus excluſas fuiſſe recenſet. Memori mente tenebam ter ea expertus, dyſenterica tormina, ſenſationemque priſtinam reproducere poſſe mihi videbar, ſique non omnino verum fuerit quod dicunt, praeſentem dolorem re ipſa mitiorem licet, tamen duriorem ſemper haberi, vere multo acriori, quem olim tolerauimus, cholericos dolores longe atrociores dyſentericis, cholericum acre multo magis rodens dyſenterico declaraturus eram. Obſtupeſcebam igitur illud, quod cum variis aliis Autoribus animaduertente *Piſone*[5]) abrepta ſtrigmenta et colliquamina

1) Lib. III. Obſ. Med. p. 611.

2) Pr. Med. c. 15.

3) Pr. Med. Tom. III. p. 794.

4) Pentecoſt. I. obſ. II. et XI.

5) De cognoſcendis et curandis morbis Lib. III. c. 13. p. 75.

mina inteſtinorum, raſurasque eorum quandoque educit, tyrannidem ſuam exercere poſſe diu in inteſtinali mea arundine, ſalua et integra manente vaſorum molliſſimorum continuitate. Dubius haerens in ſolutione huius phoenomeni, certus interim reddebar illorum relatione, qui faeces inſpexerant, ne guttam ſanguinis iis ineſſe, aberat igitur adhuc a me ater ille ſanguis atrae bilis nomine venire ſolitus, quem aterrimo carbone tanquam certiſſimum ineuitabilis exitii praeſagium notauit *Hippocrates.* [6]) Plus ſimplici etiam vice ſpeculationibus intentus meditabar dolorum territorium ſuis limitibus circumſcriptum, quos hi nunquam excedebant. In duodeno naſcebatur atrociſſima ſenſatio propagata in ieiunum, et ileum, atrox ibidem omnino, ſed hic non atrociſſima euidenter, vt illic: igitur foris terminos dolorum a cordis ſcrobiculo vltra vmbilicum extenſos circumſcribere licebat. Hypochondria vtraque fere erant immunia, neque per omnem lumborum tractum meabat triſtis ſenſatio, colon ergo vtut perennem tranſitum concedere cogeretur tumultuantibus quisquiliis, tamen ab iis non valde turbatum quiete ſua vtcunque fruebatur, aut laceſſitum interdum nullis aliis incommodis vexa-

dolorum limites.

 batur

6) Lib. IV. aph. 22.

batur quam flatubus distensiones et constrictiones mutuas sed temporarias parientibus, a tenuium intestinorum miseriis facillime distinguendas. Verum in mentem reuocans infames illas asellationes tenesmi, quo vocabulo ni fallor vtitur alicubi *Ettmüllerus*, quas ineffabili cum molestia tuleram dysentericus, non bene capiebam quomodo ab hoc incommodo iam prorsus liber persisterem, cum tamen omnes cauo intestinorum contentae sordes acerrimae tandem rectum transirent, ibique antequam excluderentur ad tempus commorarentur, atque abraso muco benigno quo recti interiora obliniuntur, pungere et irritare sphincteris fibras necessario deberent. Interim nescius licet aetiologiae tanti beneficii, (nisi forte contendere quis voluerit vim omnem morbi in cholera desaeuire in tenuia intestina, quam in dysenteria totam in rectum incumbere *Sydenhamus* edixit,) conuincebar tamen per omnem morbi decursum verissime scripsisse *Hoffmannum* [7]) Choleram non aeque molesto stipari tenesmo ac dysenteriam, quanquam inclinationem ad deiiciendum siue tenesmum cholerae symptomatibus inter veteres *Aretaeus*

absentia tenesmi.

7) Med. Syst. Tom. IV. part. III. sect. II. c. VIII. §. 2.

taeus [8]) inter recentiores *Iunckerus* [9]) data opera adiiciat. Illis autem Cardialgiam fere ordinarie Auctores annumerant, eandemque aegros miserrime excruciantem; sed et hac per Dei gratiam postquam primo vomitu ingesta omnia reddideram, fere haud laborabam, magno meo inter tot alias aduersitates bono. Ea certe si vrgens valde nominis sui ratione habita sinistrum ventriculi orificium simul occupasset, in pyloro alioquin praecipue residens, atque diaphragmatis tendinosam partem in consensum traxisset, multo maioribus anxietatibus mulctandus eram, pacemque illam animi, cuius coelitus quasi deciduae solamine fruebar, multum corporea inquiete imminutam doluissem. Verum non obscura erat huius felicitatis causa, vacuus erat ab omni acrimonia vellicante ventriculus, ructus quippe interdum explosi aut insipidi prorsus erant, aut recens assumtorum saporem in os sursum reducebant, infra ventriculum autem profundius in duodeno latitabat deorsum maxime vergens inimicissima bilis: Sed haec vomituritione ingruente per hiantem vacuo ventriculo pylorum tanto operosioribus moliminibus sursum euehebatur, vomitusque semel motus nun-

absentia Cardialgiae.

concussus summe dolorosus per vomitum.

8) De Morbis acutis Lib. II. c. 5.
9) Tab. de cholera p. 407.

nunquam ceſſabat, niſi portio illius violenta et nauſeabunda motus periſtaltici inuerſione in ventriculum depulſa, et ex eodem iterum per oeſophagum eiecta fuiſſet. Atque hae quidem conuulſiuae ventriculi, diaphragmatis, et muſculorum abdominalium ſub vomitu agitationes reciprocae, inteſtina diſpoſitione phlegmonode pariter ac eryſipelaceo ardore laborantia, vulnerata, exeſa, arroſa, atque eapropter ad ſtuporem ſenſibilia ruditer vno impetu, violenterque repetitis vicibus concutientes, inter reliqua tormenta quibus omnis morbus ſtipatus incedebat, ſummum mihi ſupplicium inferre videbantur. Sique ſingula alia mala obduratus toleraſſem Stoicus, hoc ſolum tamen quoties imminebat, omnem mentem terrore deſperationi vicino exagitabat, ita vt ſi moriendum foret, ſi nulla euthanaſia impetranda, tantillum ſaltem leniminis reflexis ſurſum humentibus oculis exporrectisque in altum manibus enixe flagitarem.

§. 13.

Indicationes.

Morbum igitur omnem denuo ſub initium huius diei perſpiciens ſtatuebam,

1. dolorum furiis conuulſiuisque fibrarum tractionibus remedium ſtatis temporibus opponere, quod ſenſum

ſum obtunderet, motusque impetuoſos coerceret, naſciturisque inde malis obicem poneret.

2. interea acrimoniam vrentem cauſam exorbitantium motuum delinire, pharmacis callidiſſime ex omni eorum apparatu ſeligendis, atque ſic cicuratam quantocyus eluere et educere.

3. inflammationis incrementum omnimodo inhibere, gangraenaeque metuendae incurſum ita auertere.

Expenſis itaque et ruminatis his indicationibus ſerio, curtam ſaltem ſupellectilem medicamentoſam *Herbſtii* mei dolebam, nulla prorſus ipſe inſtructus. Sed dum illarum expletio me tenet cogitabundum, ea vrgente neceſſitate, quae arte inueniendi praeſtantiſſima habetur, feror illico in remedium facile parabile, ſimplex valde, ſed eximii ſaepe vſus balneum emollientiſſimum ex aqua fluuiatili *balneum.* cum furfuribus cocta et lactis larga quantitate admixta, praeparandum. Id non multum calens, ſed ita ſaltem tepidulum vt horripilationes non induceret, morbi medelae haud reſponſuras, ingredi geſtiebam hora circiter ſeptima matutina, non ſine ſumma leuaminis obtinendi fiducia. Mira res eſt ſola mul-

torum aegrorum meorum repraesentatio menti obuersans, quos colica grauiore biliosa, flatulenta, haemorrhoidali, iliaca, ipsaque cholera miserrime affectos, incassumque fere actis omnibus in terra sese volutantes, lectulis exsilientes, instar furiosorum per conclauia cursitantes conspexeram; quos inter clamores et fletus ferro et igne intentandam mortem violentam, dum naturalis lento nimis gressu appropinquaret, ab adstantibus expetentes audiueram; quos vero balneum emolliens ingressos toties ad tempus cicuratos, mansuetos et tractabiles, rerumque gestarum poenitentes videram, quos tandem simplicem aquulam lacte et paucis herbis medicatam magis redditam, eximiis encomiis depraedicantes audiueram; sola inquam horum hominum recordatio, omnia fausta mihi pollicebatur, videbarque mihi iam obtinuisse lenimen, dum aquam in conclaue meum adferebat, et labro balneari infundebat hospitis famulitium. Neque me fefellerat hac vice confidentior spes, epithema quippe nactus vniuersale humiditate simul et tepore ac mollitie praestans, ex ignito Phalaridis boue, ex gehennae atrio egressus, ac ad coelestium deliciarum praegustum admissus mihi apparebam cum dimidia fere ex parte stricturas relaxari, aestumque internum mitigari

tigari perſentiſcerem. O quanta tum continentia aegrum abdomen immergens vndis ſoteriis cauebam, ne muſculorum motu mutarem ſitum mihi maxime fauentem; quanta tranquillitate et quiete corporis iuuare contendebam impetratum ſolamen, puſiones illos imitatus quos ſaepiuſcule quando ex corrupta per admiſtum acidum rodentiſſimum bile, torminoſis deiectionibus et vomituritionibus, cholerae morbo analogis laborarant, balneo immiſſos poſt iactitationes et clamores perpetuos nullo ex mamma materna profluo dulci lactis pabulo inhibendos, aequa metamorphoſi quietos, immobiles, et obmuteſcentes redditos obſeruaueram. His induciis impetratis, lubenter in balneo meo commoratus, eo acriori iudicio, quid vlterius agendum ſupereſſet, inquirere poteram; pulchre quippe intelligebam, eousque non adſcenſuram energiam aquae tepidae, vt arduum adeo medelae negotium conficeret, hoſtemque quem intus nihilominus infauſta quaeuis machinantem experiebar, cum quo proxime congredi nequibat, inualidum redderet, armisque nocentiſſimis exueret. Sagax nempe lectione veterum et recentiorum Medicorum, atque experiundo circumſpectus redditus, memorque praecipue monitorum Optimi Praeceptoris *Hoff-*

manni

manni qui ore et ſcriptis ex *Celſo* et *Tralliano* praecipue inculcare non intermiſit: *Nulli morborum minori ſuccurri momento quam huic, exiguamque et leuem in medendo moram peſſimam eſſe*, fronte capillatam occaſionem, poſthaec, quatuor forte aut pauciorum dierum ſpatio, caluam futuram, mature agnoſcebam. Igitur mortis in hoc morbo cauſae primariae truculentae gangraenae, inflammationis filiae, perpetuam imaginem ante oculos habens, antequam balneo egrederer, vt ocyus Chirurgum accerſerent, qui cubiti venam aperiret, atque interim calefacerent lac recens mulctum petebam, quod infuſo potu (Thée) confundendum et pro potu ordinario hauriendum, nunc conuenientiſſimum balneum internum euaſurum ducebam. Hoc propoſito inhaeſiturus cum ſudor paulo copioſior, licet ab omni balnei calore cauiſſem, erumpere inciperet, corpusque debilitatum morbo magis debilitaret, et lipothymiam inuitaret, in lectum iterum tranſportari cupiebam.

venae ſectio decreta.

§. 14.

Pauca momenta exfluxerant, ecce nimis edocebar, ſi non prorſus palliatiuam, ſaltem incompletam medelam attuliſſe balneum torminibus denuo increſcentibus, ad conſuetum fere culmen ad-

adſcendentibus, ac iteratas deiectiones et vomitiones bilioſas inducentibus. Quaerebam igitur poſtquam pro impetrando temporario lenimine, et auertendis conuulſionum inteſtinalium ſonticis effectubus, laudani liquidi doſin adſumſiſſem, inter emollientia et demulcentia pharmaca ſummum, ſummae acrimoniae opponendum. Numquid vero aptius excogitari poterat, quam quod venenis acerrimis opponitur blandiſſimum aliquod oleum? an vero inter ea elegantius, quam id quod ex ſelectiſſimis amygdalis igni nequaquam antea expoſitis preſſu elicitur? Enixe igitur oro et obteſtor, vt quam citiſſime id ex Thermarum Pharmacopolio, aut ab aliquo Hirſchbergenſium Pharmacopoeo vel Piſtore cupediario recentiſſimum apportandum curent, lactis lymphati potu interim contentus futurus. Accedit interea valde officioſus Amicus *Herbſtius* percontaturque humaniter, anne facturum in meos vſus egregium medicamentum magneſiam, doſi quacunque aſſumere placeat? Non ſum ex eorum medicorum numero, qui polychreſtum quid reſidere putant in magneſia, atque eam acrimoniae cuiuis non ſaltem in canali alimentorum, ſed et in ſanguine ipſo obuiae eximium antidotum habent. Mea quidem ſententia magneſia nil eſt niſi terra

Laudanum.

oleum optatum.

magneſia.

terra calcarea, quod dudum docuit *Hoffmannus* [1]) cum aliis, quodque recentissime demonstrauit Cl. *Nicolai* [2]) ex calce viua aeque bonam magnesiam quam ex nitri lixiuio parari ostendens. Vix ergo si a pauxillo acidi et nitrosi salis, quod ipsi adhaerescit recesseris, quicquid eius amici contradixerint, vix inquam maiores dotes possidet, quam lap. cancr. mater perl. et alia absorbentia, quare soli acrimoniae acidae nulli alii corrigendae dicari potest. Neque etiam aluum movet vnquam, nisi acidum in ventriculo vel intestinis offendat, cum quo congrediens in sal abit neutrum, stimulo suo sedes ciens, aliter ad vnciam dimidiam non raro incassum, quamuis tali dosi non sine molestia deglutitam obseruaui, debiliorique ventriculo onerosam factam. Hac mente mea exposita, cum ne vestigium alicuius acidi in ventriculo meo peccantis appareret, sed potius et vomitu et deiectionibus foetidissimis alcalica et putrida bilis sese clarissime manifestaret, huic gratis me oppositurum fore magnesiam candide profitebar. Interim cum nocere non posset, cumque lac aquae mistum strenue potarem, facile perducebar ad capiendas aliquot doses, eum in finem, vt illud liberum a coa-

1) In Obs. phys. Chymicis.
2) In Systemate Materiae Med. Tom. II. c. 15.

coagulo in debili ventriculo praeſtarent, atque eius aceſcentiam praecauerent, quae tamen oboriens nil mali rebus meis illatura fuerat, inſuperque aquae connubium et ſacharum adiectum ſatis iam lactis coagulum et aceſcentiam poterant impedire. Superuacaneus ergo erat prorſus vſus magneſiae, ſola comitate ita ſuadente a me admiſſus.

§. 15.

Vena ſecta. Dum de virtute et inertia huius remedii inuicem colloquimur, intrat conclaue deſideratus balneator, omnia bona de ſe promittens, et phlebotomen vbicunque voluerim prompte ex artis ſuae legibus adminiſtraturus. Monito vt arteriae et tendini bicipitis cautus parceret, porrigo brachium, venamque vulnerandam ſatis turgentem ipſe monſtro, iniunctaque paulo maioris inciſionis neceſſitate directionem phlebomi longitudinalem praecipio. Rebus a balneatore rite geſtis quarum conſtans et attentus ſpectator eram, largo flumine prorumpit ſanguis, cuius decentem copiam vltra libram extenſam effluere permitto, ſine vllo veſtigio inſecuturae lipothymiae, pulſum potius probe exploratum ante operationem, poſt eam abſolutam, vulnuſculumque diu iam obligatum, aeque fere fortem et celerem deprehendo. Emiſſum

Emissum cruorem qui alioquin venae sectionibus aequinoctialibus sanissimis hominibus detractus praeter rem medicis inspiciendus indagandusque obtruditur, vt nescio quos futuros morbos divinando praesagiant, et per annorum decades auertant, cum cura reponendum inculco, qui vero post horam consideratus, quod valde mirum erat, licet febris adeo intensa per 20. horas iam durasset, admodum tenuem crustam inflammatoriam contraxerat. Anne cruor pleuriticus crustam tenacissimam exhibens saepe iam inest vasorum systemati ante ingressum febris atque alio tempore morbi causa est, alio tempore eius effectus? an iners lentor sanguini mistus est crusta? an ille semper aliquid inflammatorii indicat? sane languor vasorum et defectus motus viscidum ita facit sanguinem, vt emissus mentiri possit crustam inflammatoriam. Anne inflammatoria febre praesente, in homine cui sanguis antea meabilis erat, plus temporis requiritur, donec serum eius excessu motus et calore sub diluentium vsu iugi eum obtinuerit concretionis gradum qui sistere queat crustam inflammatoriam, ita videtur. Sed ad me!

crustae absentia.

§. 16.

§. 16.

Olei vires perpensae.

Parum leuatus a balneo, laudano, et venae sectione, licet sat larga, a qua tamen minutis vitae viribus inflammationis inhibitionem sperabam, tanto ardentius in desideratis habebam ardentissimo dolori opponendum amygdalarum oleum. Tantoque impatientius animo obuiam incedebam ablegato, neque satis in reditum suum festinanti seruulo, a quo illud anxius expectabam. Statueram id redactum in linctum cum puluerisato sacharo paruulis cochlearibus assumere, desuperque bibere infusum potum (Thée) cum lacte, vel sachari et vitelli ouorum beneficio id aquae miscibile reddere et redigere in emulsionem, si modo statim praesto fuisset. Tale nimirum oleum natiuum, opimum, mite, lene et blandum, ex corporibus eo abundantibus sola pressione eductum, salis fere expers est, igitur si quid aliud acre quodcunque, quod non aliter quam hispidum et aculeatum concipi debet, pinguitudine sua tanquam in vagina recondit, inuoluit, mitificat, obtundit, iners reddit; dein fibris et membranis illitum eas laxat, emollit et flexiles praestat, duplici ergo hoc respectu anodynum est summum, et causam doloris mitificando, et tensionem ac crispaturam fibrae dolentis relaxando.

 Quidni

Quidni ergo et meis finibus prorſus iisdem reſponſurum erat, maxime cum et illa loca inteſtinorum, quae abraſo ſmegmate denudata, exeſa, et excoriata fuerant, obtegere denuo, atque ab vlteriori laeſione defendere poſſet. Inter haec cogitata adeo amygdalino oleo glorioſa, id tandem aliquando affertur, ſed eheu ſiue emtoris incurii, ſiue venditoris culpa illaudabili, omni vſu carens, flauum, acre et rancidum. Fatear ingenue, non ſine aliquo rancore animi, Pharmacopoei lucelli cupidam negligentiam et inhumanitatem, non ſine ingenti triſtitiae affectu, hoc infortunium maximum primo intuitu habitum, ferebam, cum votis meis excidens, ſpem omnem in hoc remedium collatam, penitus collapſam cernerem. Sed dum et hanc fatorum meorum aſperitatem adhuc deploro, en protinus non vanum ex accuratiori ipſius olei conſideratione cumque rebus meis inſtituta comparatione emergit ſolatium. Inducorque adeo vt me ipſum conuincens crederem, nocere etiam potuiſſe hoc oleum, etiamſi optimum fuiſſet, ad quod vnum tanquam ad ſacram anchoram paulo ante mihi confugiendum eſſe, mihi perſuaſeram. Ita medentibus interdum imponunt ſeveriſſima viſa ratiocinia, falluntque incautos niſi omnibus morborum circum-

oleum ſepoſitum.

ſtantiis

ſtantiis vna conſideratis ſuperſtruantur; ne minima quidem abeſſe vel poteſt vel debet, vt ſua illis conſtet rectitudo et bonitas. In ventriculo meo ab omnibus alimentis ad nomina eorum audita iam mota nauſea, abhorrente, totque vomitionibus repetitis iam mirum quantum debilitato, vix ſubſtitiſſet diu oleum benigniſſimum etiam et blandiſſimum, ſine nauſea exacerbata; ſine excitatis vomitionibus; non ergo delatum fuiſſet ad annexa inteſtina correcturum acrimoniam in iis hoſpitantem remedium. Si vero ſubſtitiſſet forte fortuna, non permanſiſſet tale quale deglutitum fuerat, ſed breui aliquot horarum ſpatio ipſa mora rancéſcens, acre, fracidum reddi debebat, et amarum eousque, vt ructibus vel vomitu in os adſcendens bilem ipſam mentiri poſſet, vt faciunt omnia aſſumta pinguia, vbi degenerauerint minus attentos ſapore decipientia. Acceſſiſſet internus calor febre acutiſſima laborante corpore ſatis intenſus, atque corruptelam olei a natiua ſua blanditie deſciſcentis, multum acceleraſſet. Non poterant non in memoriam haec omnia expendentis venire, quae de mira hac metamorphoſi pulcherrime in Chemia expoſuit *Boerhaauius*; quae toties attentus legeram et relegeram: *Calore*, inquit,

quit, [1]) *tantum 70. graduum oleum hoc mutat prorſus ſuum ingenium ſine vlla alieni immiſtione, de craſſo tenuius fit, de blando acre, de dulci amareſcens, de inſipido rancidum, de albo flaueſcens, de anodyno erodens*, dixerim adhuc ego, ita mutatum aegro de medicamento fieri venenoſum; neque fallor. Si enim quod addit laudatiſſimus Vir, amygdalae, nuces iuglandes, piſtacia veteraſcentia homini ſano fauces oeſophagum, ventriculum, inteſtina incendunt, febresque excitant, quid mihi febrienti ſummosque ab incenſis inteſtinis dolores patienti debuiſſet accidere, ſi oleum eo delatum rancorem et acrimoniam induiſſet. Quam attente auſcultandum ipſius monitis quando medentibus ſuadet dum in acutis porrigunt oleum amygdalinum, ſolerter curent preſſum ſit de amygdalis non rancidis, neque vrente ſyrio ſit nycthimero antiquius.

§. 17.

Emulſio amygdalina. Ita igitur ego tali remedio vel facile noxio futuro, vel ſaltem ancipiti carebam lubens, maiorique certitudine et fiducia, eosdem tamen in vſus, quos expectare ab eadem omnino fas erat, a me ſubſtitui poſſe intelligebam, emulſionem blandiſſimam amygdalinam, eandemque

1) Tom. II. p. 84.

demque ex ſelectiſſimis amygdalis, (quod ipſum in mea et *Herbſtii* mei poteſtate erat,) praeparandam. Non ſine voluptate tum meditabar praerogatiuas eiusmodi emulſionis oleoſae, prae oleo ipſo. Vtrique certe eadem vis leniens, mitificans, mulcens, laxans; ſed emulſio dum maiori copia aſſumi poterat, maiorem ſuperficiem inteſtinorum lambere et inungere debebat, ſpesque erat ventriculum ipſam lubentius fore accepturum, ſineque mota nauſea citius ad annexa aegra inteſtina ablegaturum, quam oleum lentore et viſcida tenacitate fibris diu adhaereſcere ſolitum. Deinde quoque emulſio calorem diutius experta atque eapropter etiam deſciſcens a blando et dulci ſuo ingenio, non fracedine et ranciditate peccat, ſed aceſcere incipit, adeoque rancidae et alcaleſcente acrimonia peccanti bili ſimul pulcherrime adverſatur, effectumque ſic praeſtat, qui mihi iam non poterat non eſſe acceptiſſimus. Felix hoc omne antea didiceram ex Chemia Boerhaauiana, egregie Medicos inſtruente tutius in acutis morbis eiusmodi emulctum propinari, quam ipſum oleum preſſum;[1]) atque iam, dum hoc ſcribo bene recordor idem inculcaviſſe Illuſtr. van *Swieten* [2]) cum in febribus

1) Tom. II. p. 86.
2) Tom. II. p. 388.

bus olea ob auctum calorem facile rancescant, praeferri ipsis debere emulsa ex seminibus vel fructubus oleosis parata asserentem, atque simul prouocantem ad *Hippocratem*, [3]) qui in dysenteriae morbi Cholerae analogi curatione, siquidem febris expers fuerit, vnguinosis et pinguibus aluo contenta educenda esse praecipit. Ocyus praeparata erat talis emulsio dulcissima, blandissima, qualem exoptaram, atque vt inculcaueram, nec aquosa nimis, nec nimis saturata; prior scilicet non habuisset iusta copia desideratum mihi oleosum leniens, ac cito nimis contraxisset acorem, posterior oleoso elemento nimis onusta vt oleum prona fuisset ad contrahendam fracedinem, nauseamque breui creasset, media consistentia gaudens optime sese gerere poterat, palatoque meo et intestinis laesis egregie blandiebatur. Huius igitur lactis artificialis poculum pro lubitu capiebam naturale vaccinum aquae vel infuso potu (Thée) admistum tepidum vel calidum interponens, non sine spe alicuius exoptati successus.

§. 18.

Salia repudiata. Non displicebat haec electa ac hucusque seruata medendi methodus Viro Clarissi-

3) De affect. cap. 7. Chartes Tom. VII. pag. 627.

Clariſſimo *Ioanni Benedicto Schneider*, Phyſico in Thermis ordinario, et Practico ibidem celeberrimo, qui de aduerſa mea valetudine certior factus, pro ſua humanitate et amicitia me viſitans, porrecta dextra ſuam fidem ſuumque in me affectum ſignificabat. Multiplici perſuaſione is a me impetrare laborabat, vt pro eliminanda ſaburra viſcida et acri, quam inteſtina mea continere certo certius ſe credere aiebat, aſſumerem puluerem ex ſalibus lenioribus compoſitum, quem ſecum afferebat, quemque febri quoque oppugnandae parem futurum affirmabat. Ego vero modeſte renitebar omnibus viribus, ac ſi ſimplici colica flatulenta forte laborarem, protinus eius ſententiae me ſubmiſſurum profitebar, iam autem me terrae fol. tartari effectum ſiniſtrum expertum abhorrere, pro ea quam animo tenebam morbi idea a ſalibus ſine exceptione omnibus, ſi vel largiſſimo vehiculo fuerint diluta, pronunciabam. Ille optime mihi cupiens inſtansque ſuis monitis, cum Amico *Herbſtio* ſuadebat, vt ſaltem indicatiſſimum nitrum capere non detrectarem. Sane mihi ruborem affudiſſet praeſtans hoc conſilium, niſi ipſe iam de polychreſto nitro antea cogitauiſſem, atque illius a me aſſumendi difficultatem vel impoſſibilitatem praeuidiſſem multis id laudauit in Cholera Cl. *nitrum.*

 Hoff-

Hoffmannus [1]) ſimul prouocans ad caſum a *Riuerio* recenſitum, qui ſale prunellae intra 24. horas diarrhoeam bilioſam ſe curaſſe refert, neque me fugere poterat, vnanimiter ad acrimoniam bilis corrigendam et educendam nitrum commendare Stahlianos, nec abs re, cum diu conſtiterit inter Medicos omnes, id eſſe pulchrum putredinis antidotum, antiphlogiſticumque et antiſepticum ſummum; quid ergo mihi proponi poterat aptius? Verum licet antea per aliquot annos nitrum paucula quantitate aquae, quae ſolutioni ſufficiebat exceptum ad drachmas integras pro aeſtu ſanguinis mitigando, et lenienda habituali cephalalgia non ſine fructu fere quotidie deglutire ſolitus fuiſſem, id nunc vix mihi ita facere licuiſſet. Nequaquam enim inteſtina ſenſibiliſſima iam tuliſſent hanc medicationem, actionemque immediatam ſalis vtut inter alia ſat lenis et leuis atque facillime ſolubilis excepiſſent, ſine momentanea dolorum exacerbatione, ſtimuli cuiuscunque etiam medicamentoſi iam impatientiſſima. Inſuper magno meo taedio per tot annos abuſu forte nitri vexatus ventriculus nauſeisque et cardialgiis interdum eapropter affectus, debilior etiam hinc redditus, atque raro appeti-

1) Tom. IV. Part. III. cap. de cholera p. 595.

appetitum validum ſentiens,[2]) id ab aliquot menſibus amplius ferre prorſus recuſauerat, ac eousque reſpuebat, vt obtruſum ſubinde vomitu redderet. Non poterant has contraindicationes coniunctas reiicere penitus duo illi amici Medici; igitur flagitabant ſaltem a me, vt doſibus repetitis pauca granula larga aqua ſoluta, atque ſic irritare nullo modo valentia deglutirem, doſiumque parvitatem repetitione crebra penſarem, ac ita et acri bilioſo vt cauſae, et effectubus eius diatheſique potiſſimum inflammatoriae obuiam incederem. Annuebam lubens his conditionibus, atque vt quam cautiſſime in aſſumendo hoc remedio verſarer, integro poculo emulſionis vel infuſi Thée lacte remixti, vt nempe oleo ſpicula ſalis occultarem 5. grana adiiciebam, aliquem ſalubrem ne minimum ſiniſtrum effectum inde expectans. Norunt vero bene qui linguam propriam iudicem conſtituunt, id quod

 toties

2) Notatu digna ſunt, quae huc facientia habet Iohannes Hummelius Tr. de Arthritide §. 19. p. 32. Inualuerat a Baconis Verulamii ſuaſu et encomiis nitri vſus medicus in Anglia adeo vt pene vniuerſaliter quiuis morbi vnico hoc remedio oppugnarentur, ſed aliquot annorum tractu, qui huic adſueuerant ſentiebant, ſe indies viribus deficere, et proſtratum vorandi et bibendi appetitum languere.

toties in Praxi mea dolui, quam difficulter etiam in largiore vehiculo etiam adiecto ſacharo vel ſyrupis gratis aboleri queat ſapor nitri ſalſo amaricans omnium hominum palatis aduerſus. Nemo tamen opinor facile me puerilis adeo et effoeminatae teneritudinis vel moroſitatis potius arguerit, vt a guſtu normam faciendorum et fugiendorum deſumſerim, ipſe eorum quae e re mea eſſe poterant ſcite gnarus; at tribus vel quatuor doſibus nitri largiſſimo vehiculo admodum diluti et diſcontinuati adſumtis, mea imperioſi licet et tenacis propoſiti iuſſa capeſſere praefracte negabat obſtinatus et rebellis ventriculus nauſeam et vomituritionem toties mihi mouens quoties tantillum nitri acceperat, moleſtiſſimasque has ſenſationes quas morbi materies ſatis frequenter ciebat geminans et adaugens. Valedicendum igitur erat vſui nitri mihi aegro quicquid obloquebar et contramachinabar Medicus, non amplius repugnantibus amicis, inhaerendumque erat emulſioni ſoli, et lac aquae confuſum porro erat potandum.

hydrogala.

§. 19.

Dolores vrgentes.

Dum vero ita diligenter his remediis, ſi quid videbam indicatiſſimis, malis meis vrgentibus proſpexeram, tota die, nihilominus ea increſcere magis quam minui

minui gemebundus experiebar, quare summa dolorum nequitia adigebar, vt denuo in balneum aquosum et lacteum hora 5. pomeridiana secederem, aliquod leuamen in eo quaerens, quod et re ipsa per horulam inueniebam, consedissemque in eo noctes atque dies, nisi summa debilitas situm erectum aegris diu haud permittens in lectum me iterum deportandum voluisset. In eo vt constantius foret impetratum lenimen dolorum, 10. guttulas laudani sumebam, a quibus aliquam tranquillitatem obtinuisse mihi videbar, sine somno sensim oborientem. Interim emulsione et lacte lymphato agere contra hostem meum pergebam strenue, neque repugnabam hortatoribus qui clysma emolliens iterum infundi cupiebant. Elotis, vtcunque et fotis intestinis foris abdomini calidum inungi desiderabam oleum illud amygdalinum, quod interno vsui seruire nequiuerat, cumque paulo ante de camphora cum nitro interne assumenda mecum collocutus fuisset Cl. *Schneiderus* eiusque vim refrigerantem a me ipso peculiari schediasmate olim adeo depraedicatam callide insusurrasset, ego vero actionem eius citam et immediatam adusta intestina sine molestiis, sineque aucto sensu aestus non toleratura fore constanter asseruissem, ille saltem externo litui oleoso addendam

balneum.

laudanum.

oleum abdomini illitum cum camphora.

dendam esse camphoram vrgebat. Displicebat vt nil dissimulem, et haec propositio, ne vero nimis displicerem amico mea commoda iuuare in votis habenti, annuebam tandem, at si sensus fallacia aut metu non totus confundebar, manifeste calorem internum intendi vnguento camphorato persentiebam, minuique iterum luculenter, cum clam detergi facerem abdomen, solumque oleum applicari, ac desuper ex farina seminis lini cum lacte paratum cataplasma applicarem.

§. 20.

Vomitus laboriosissimus. Accedebat interim vespera, tristissimo ingressu quaelibet infausta nocti instanti denuncians. Fuerant per diem vomituritiones deiectionum frequentium comites frequentes satis, sed plerumque inanes sympathia ventriculi cum annexis dolentibus intestinis tantum proritatae, aut ad summum ingrauescentibus conatibus egerendi pauxillum saltem de assumtis imbutum tamen amaro et putrido sapore excusserant. Iam vero subito vehementer conuulsis abdominis musculis et diaphragmate larga copia emulsio et liquamen lacteum vt hauseram, sine singulari coagulo in fauces et os regurgitabat, atque laboriosissimo nixu effundebatur, non sine debilitate

summa

ſumma corpori, non ſine indicibili moeſtitia animo illata. Ita namque maximam partem remediorum, quae inteſtinis laborantibus deſtinata erant, de quibus tanta bona mihi fueram pollicitus, pigram commoratam fuiſſe in ventriculo, iamque fructus expertem deperditam dolere debebam; neque licebat per incredibilem illius infirmitatem atque natam inſuperabilem nauſeam lactis et emulctorum, talia denuo ingerere; carere igitur debebam miſer homo omni emolumento, quod ab iisdem confidenter adeo ſperaueram. Parum aberat, quin omnia artis molimina ſucceſſu ſuo deſtituta comperiens, partim pathematum animi turbis, partim virium exhauſtarum ſumma penuria cecidiſſem et exſpiraſſem ſyncopticus, niſi perpetuo acetum rubi idaei naribus admouiſſent amici, impigroque labore faciem ex nutu meo vino Rhenano generoſo abluiſſent. Horum eximiorum excitantium ope quorum virtutes expertus laudatiſſimas declarare debeo, redibat aliquis menti et corpori vigor, ita vt duriori meae ſorti vlterius perpendendae, et conſiliorum capiendorum inopiae introſpiciendae iterum ſufficerem.

abluitio cum Vino Rhenano.

§. 21.

§. 21.

Sitis ingens. Vltra imaginationem autem iam me cruciabat intenſiſſima ſitis, tanta profuſione humorum, tantoque interno aeſtu excluſa, linguaque tota torrida gratam aliquam humectationem ardenter ſibi depoſcebat. Vndenam vero hauriri poterat aliquod potus genus, quod morbi ingenium et ſenſibilis inteſtinorum mobilitas haud vetaret? Diu ad conſummatam ſatietatem ſorbillaram infuſum potum (Thée) prorſusque id nunc reſpuebat aeque ac lac laxiſſimus ventriculus, vtinam licuiſſet vel auaris hauſtibus aſſumere aquam ſimplicem frigidiuſculam, ab his vero deliciis quam ſeueriſſime abſtinere iubebar. In iis anguſtiis igitur parari petebam leuiſſimum decoctum Cort. Citr. aurantiorum et Cinamomi, leuiſſimum inquam, vt ſaltem tantillum alius ſaporis linguae concilians, quam ſi ſimplex aqua fuiſſet, interim tamen vix aromaticum nullam noxam inteſtinorum phlogoſi adferret, idque alternis vicibus fere tepens addito pauxillo ſachari potabam. Coenabant vna in conclaui meo mihi ſemper praeſto futuri bini medici cum chariſſimo Hoſpite; verbis vero aptis deſtituor, ad deſcribendam inuincibilem nauſeam, quam iuſculi ciborumque nidor naribus e longinquo admo-

decoctum Cort. Citr. et Cinam.

admotus mihi adferebat, adeo quidem, vt imposterum alium vbi inuicem comederent, locum eligerent, enixe flagitarem. Vini interim Hungarici purioris, quod bibebant admodum reficiens fragrantissimus odor adeo saliuam mihi mouebat, adeo ingens sui desiderium excitabat, vt quidem ab eius liberaliori haustu peccato irremissibili futuro mihi satis bene cauerem, peccatillum tamen sed tale quod austerioribus etiam Practicis inter venialia referetur sine dubio, facilis committerem. Elueram ventriculum a lacte naturali et artificiali, post vomitum qui maximam partem reddiderat, tepente decocto de quo dixi: Steterat autem per totam diem in vase aqua calori aëris aestiuo exposita, de hac poculum implebam potui (Thée) destinatum, adiiciebam frustulum corticis citri, cochleare vnum vini, et pauxillum sachari. Egenum satis et nimis lymphatum vobis videbitur, Lectores amantissimi, hoc oblectamenti genus, cordialibusque potionibus haud adnumerandum, namque vinum hoc Thasio veteri simile non erat, quod *Hippocrates* largissima quantitate aquae remiscendum praecepit. Verum quibus res angusta domi est, quosque fortuna nouerca a lautioribus dapibus prohibitos voluit, vilioribus etiam quandoque epulis pasti ad magnatum mensas accef-

vinum lymphatum.

accessisse sibi videntur; ipseque nonnisi regalibus deliciis adsuetus, sitimque antea nunquam expertus, ea tamen dum imminentem a tergo Victorem Alexandrum fugiebat vexatus ad defectionem animi Darius, turbulentam adeo ex palude aquam desideratissimam atque gustui acceptissimam habuit. Atque ego certe tanta voluptate ebibebam meum vere analepticum poculum, ac si ad Deorum conuiuium admisso spumantem illam pateram soli Ioui Tonanti degustandam porrexisset amabilis puer Ganymedes. An ergo valde mirum, quod leuata multum, sed nondum restincta aridissima siti, vnicam adhuc eiusdem nectareae compositionis dosin auidissime appeterem, impetratamque ne guttula in fundo relicta in salutem accumbentium vacuarem. Verum vtut rationem phaenomeni ignorem, nec in aqua nec in vino sufficientem culpam repositam credens, propriae saluti minus conduxisse palato licet amoenissimum potum persuadebar, torminibus acerbissimis breui post recrudescentibus, quae per integram noctem immani nequitia perdurantia non saltem somnum omnem procul abire iubebant, sed anxietate, inquiete, aestu, siti, vomitu, diarrhoea, tortoribus coniunctissimis moerentem affligebant. Permouerat valde contristato

damnum ab eo.

cum

cum amiciſſimo hoſpite binos Medicos miſerabilis haec ſcena, vt ſomnum ipſi excuterent, atque fidos cuſtodes teſtesque et ſpectatores calamitatum praeſentiſſimos ſeſe mihi ſiſterent, dolerentque ſinceri meas vices, parum vel nihil leuaminis a largiori aquoſorum potulentorum nunc ſatis tepidorum, epithematum, clyſmatum, ipſoque iterato laudani vſu reportantis. *diluentia, lenientia.*

§. 22.

Diſparente tandem infauſta hac et elongata inter perpetuas vigilias nocte, per atram curarum et ſollicitudinum cateruam ſpiſſiori, vt videbatur caligine obuoluta, exoriebatur dierum omnium quas viuendo abſumſeram mihi maxime tenebricoſarum tertia. Felix tamen illa erat terque quaterque ſuo aduentu, quod viribus totius corporis poſt incredibilem liquidorum et ſuperiori inferioriue gutture profuſionem pene ad incitas redactis, appropinquantem mihi exoptatum malorum finem promitteret. Nil vero proinde deerat compoſitae mentis ſerenitati, potius valedicendum fore videns rebus mundanis, abitum ex hac vita, cuius amarores ſat diu per 43. annos deguſtaueram, inter preces et ſuſpiria parabam, nulla mortis inſtantis formidine perculſus. Sine vanitate ſine iactan- *Dies morbi tertia. Praeparatio pro ſubeunda morte.*

 tia

tia ſcribo, namque hoc Dei miſerentis non meum opus erat, puſillanimis alioquin natura, et facile deiiciendus, nunquam ex quo ſpiritum traho, maiorem mentis conſtantiam, integritatem et fortitudinem, nunquam maiorem in gratiam Dei, meritumque Seruatoris crucifixi fiduciam intus perſenſi, quam durante hoc abominabili genere morbi, nobiliorem ſemper et puriorem redditam, quo magis ad plenariam liberationem a corporeis vinculis accedebam. Quin vt ſuprema officia erga meos explerem, remotus ab iis per tot montes et valles, ſupplementum condebam ad tabulas teſtamenti in curia Vratislauienſi depoſiti curante et teſtes idoneos mihi ſuggerente Clariſſimo Viro *Chriſtiano Feiſt* rebus iudicialibus in Dynaſtiis Illuſtriſſimi Comitis de Schaffgotſch Praefecto. Deinde omnia, quae pro funeris honeſti honoribus fieri exoptabam diſponens accurate, diu voluebam animo varia verba Scripturae Sacrae, vt pro concione funebri in mei memoriam habenda ſeligerem textum, qui mortis meae occaſioni et loco bene reſponderet. Placebat tandem inter alios locus Deuteron. Cap. XXXII. verſ. 48. 49. 50. *Locutus eſt Dominus ad Moſen in eadem die dicens: Adſcende in montem iſtum Abarim in montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra Iericho,*

Iericho, et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam. Et morere in monte. Quem conscendens iungeris populis tuis. Atque ipse ego ex nutu vt videbatur diuino breui iungendus Patribus meis qui antecesserant, ac itineri quo ex eminentibus Sudetis montibus ad altiores beatorum sedes adscendendum erat me accincturus, renunciabam lubens euanidis mundi felicitatibus; aeternumque duraturas appetens, anxie anhelabam vsum S. Coenae, cuius beneficio, impetrata remissione peccatorum meritique Christi particeps factus, sursum ad coelestia gaudia me discessurum confidebam. Saltem antea vt menti piis cogitationibus intentae meditari aliquantisper arduum hoc negotium liceret, turbis enormibus aegrotantis corporis vel minutulum lenimen adferri posse, iteratis precibus exoptabam. Poterat vero tunc accessisse ad lectulum meum, qui eo tempore adhuc inter viuos supererat, impius meus et iniquus Antagonista de la *Mettrius*; atque in magnum sui opprobrium miraturus erat, in illo machinae meae ad plenariam sui ruinam vergentis casu, in ea materiae ex humoribus diffluentibus inopia, in ea inter perpetuas lipothymias non nisi continua abluitione cum vino Rhenano fugandas virium incredibili prostratione,

Meditationes de animae existentia contra de la Mettrium.

ſuperſtes, nihilominus in dignitate ſua abſolutiſſima ens ſimplex, prorſus a materia et machina diuerſum. Eousque autem huius ſibi conſtabat integritas, vt dum iam morbi proximus mihi viderer meditarerque animae cogitantis immortalitatem, praeſtans ſuccurreret pro eius exiſtentia militans argumentum, a nutritionis noſtri corporis legibus deſumendum, quod nec in libello meo latino, nec ſchediaſmate Gallico cum cura propoſuiſſe, valde me poenitebat. Abſonum denuo deprehendebam cerebrum venditare pro anima, atque in illo gratis ſuppoſitas haerentes imagunculas habere pro ideis, cogitationesque et ratiocinationes materiales fingere. Etenim cum nutritio inuoluat perpetuam elementorum tam liquida quam ſolida noſtra conſtituentium vi circuli abraſorum et deperditorum, eadem vi circuli praeſtitam reſtitutionem et appoſitionem; nutritio vero in toto corpore et omnibus eius partibus, eadem valeat, ſatis conſtare debet cerebrum cum omnibus ſuis fluidis et pulpoſis ſolidis, ne per vnum horae minutum manere in omnibus elementis ſuis idem, ſed ablatis iis et ablatis continuo aliis, totum cerebrum ſemper innouari, licet ſemper maneat idem ad ſenſum et indiuiduo proprium. Debent ergo et imagunculae idearumque materiae,

riae, quae ſiue illae fluidis ſiue ſolidis per hypotheſin inhaereant perire cum elementis cerebri continuo, ni nouae deperditis ſimiles continuo afferantur; ſed permanent tamen ideae tenaces rerum olim iam et dein a longiſſimo tempore ſenſibus haud perceptarum, adeoque non reſtitutarum; permanent noſtrae, quas ſemel iuuenes didicimus integrae artes et ſcientiae, licet per annorum decurſus quandoque ſepoſitae et obliuioni quaſi datae, quarumque adeo ideae millenis vicibus deperditae eſſe debuerant, ſi materiae cerebri forent infixae. Patet igitur clariſſime, ideas et pendentes ab iis cogitationes eſſe a fictitiis imagunculis et materia cerebri diuerſiſſimas, adeoque ad aliam prorſus ſubſtantiam referendas. Impoſſibile mihi dictu eſt quantum ſolamen ex eiusmodi mecum inſtitutis ſoliloquiis de hac ſubſtantia anima mea ſuperſtite futura, (vtut corpus cum corde et cerebro deſtructioni obuiam incederet) mihi enatum fuerit. Cumque vires mentis reſidui vigoris ſui conſiderationi ſufficerent, ſufficiebant quoque diiudicando languori corporis, cui adeo auditis patienter et cum ſincera gratiarum actione amicis medicorum conſiliis in rem meam facientibus, medicinam ipſe quamdiu id ſupereſſet facere pergebam.

§. 23.

Decoctum auenae et hordei.

Indicationibus igitur heri et nudius tertius formatis iisdem manentibus, vsuque lactis et emulsionum ob insuperabilem nauseam cessante, placebat iis substituere decoctum auenae vel hordei aliquid incrassantis et demulcentis prae simplici aqua habens. Parabatur posterius protinus, educebamque de eo quantum poteram, sed prorsus id repudiabat laxus nauseans, et ad omnia fere alimenta et potulenta capienda rebellis ventriculus. Cum ergo, donec nausea maneret talis, ingens quae aderat debilitas perseuerare necessario deberet, neque etiam assumtioni omnium eorum, quae medicamenta audiebant locus esset, vomitionibus nauseam increscentem cito subsequentibus, summam haec animaduersionem flagitabat. Patiebatur immunis ab inquilino vitio ventriculus id mali genus per consensum, leniter nempe vel fortius conuulsus ab acri bilioso in intestinis annexis hospitante, quod et sursum quandoque peristalsi inuersa per pylorum viam qua eiiciebat sibi parabat: neque minus diathesis phlogistica tenuium intestinorum hoc incommodum post se trahebat. Offerebant sese mihi vtramque causam alioquin impugnare aptissima salia omnia, acetum, succi horaeo-

nauseae remedium quaesitum.

raeorum, mel, oxymel, ſuccus citri, ſpiritus acidi dulcificati. An vero ſpaſmi dolorifici inteſtinorum denudatorum, exeſorum, eryſipelate et forte profundiore inflammatione laborantium, ipſaeque frequentiſſimae deiectiones horum omnium vſum bene permittebant? Iam expertus non ferebam nitrum, atque a iuſculo panis ad palatum ſanorum ſalito, cuius aliquot cochlearia ſuaſu eorum, qui interitum meum a ſola abſtinentia metuebant ſumſeram, roſiones et ardores exquiſitiſſimos obſeruaueram, an ergo ad ſalia magis irritantia progredi licebat? an acetum licet antiphlogiſticum bilisque putridae corrigens ſummum applicari tuto poterat exquiſite dolentibus inteſtinis? an oxymel quod tantopere mihi commendabat *Herbſtius* vel mel ſolum ſuccique horaeorum fermentationi ſtatim obnoxii, flatusque et tenſiones et tormina et diarrhoeas facile inferentes, ſimulque acrimonia vellicante, quae ſtatim naſcitur agentes, quadrabant bene cholerae meae ingenio, quam ſaepe ſoli producunt? Sane dulcia ſine exceptione omnia, interque ea aliter ſibi valde amata mannata easdem ſine dubio ob rationes nunquam conuenire in hoc morbo aſſerit Cl. *Hoffmannus.* [1]) Tandem ſpiri-

1) Med. Syſt. Tom. IV. part. III. cap. de cholera p. 539.

ſpiritus ex mineralibus acidis paratos atque alcohol additione et digeſtione diuturna mitificatos, et dulces redditos, nauſeae equidem a cauſa bilioſa magnos domitores noueram, languentique ventriculo gratiſſimum eſſe excitans multis in praxi experimentis fueram edoctus; interim ob alcohol ſtimulans non audebam ad eos confugere, atque metum hunc non vanum fuiſſe, deinceps luculenter conuincebar vt ſuo loco referam. Forte non omnibus lectoribus meis probabitur haec mea a remediis adeo blandis habitis, et in praxi quotidiana vſitatiſſimis abſtinentia, ſed potius ad ſcrupuloſitatem et puſillanimitatem illaudabilem vsque videbitur accedere. Verum his conuictus reſpondeo, omnia illa pharmaca omnino eſſe elegantiſſima et ſola indicatiſſima ad corrigendam et abſtergendam peccantem mole et craſi bilem quamdiu labes omnis abeſt ab inteſtinis, hac vero iis affricata, et ſignis certis ſeſe manifeſtante, illa cautiſſime eſſe vſurpanda, meliusque prorſus omitti, dum non poſſunt non acrimonia ſua irritare nudatas, tenſas, et proinde admodum ſenſibiles fibrillulas. Hac ſententia imbutus nil ex omni illo apparatu ſeligere in meos vſus poteram, anhelanti tamen viribus analepticis pollens nauſeamque infringere valens, ſed mitius citatis

citatis ſi haberi poſſet remedium, in mentem veniebat iuſculum ex aqua quinta vel ſexta parte vini Hungarici mediocriter generoſi, ſacharo, vitello oui adiecto pauxillo corticis citri, ſine additis aliis aromatibus parandum. Modicam hanc quantitatem vini in ſe bilioſae putredini aduerſi, quod ſub coctione alcohol ſuum emittere maximam partem in auras, atque aceſcens ingenium ſimul induere debebat, alcaleſcenti acrimoniae contrarium, pauxillum adeo vini inquam, in diffuſo aquoſo vehiculo irritare non aptum, nihil noxae mihi illaturum ſperabam, maxime cum ſtatim ſedem morbi non feriret. Neque aliquid mali metuebam ab alcaleſcere apto oui vitello, per vinum additum correcto, quin potius a nutriente eius et demulcente ſimulque ſaponacea vi bona quaeuis mihi promittebam, caetera fere habens pro adiaphoris. Hauriebam ergo hoc iuſculum, quod calore quoque blando ſeſe dolentibus inteſtinis commendaturum confidebam, palato admodum placens, ventriculoque non minus ſatis acceptum, neque videbar mihi aliquid ſiniſtri percipere, doloribus meis ab eius vſu ſi non imminutis, ſaltem etiam haud augeſcentibus. Gratulabar mihi in anteceſſum ventriculum hac refectione permotum iri, vt liquida aquoſa perpetuo indicata

iuſculum ex vino lymphato.

a morbi duratione, melius admitteret, factoque periculo post horae dimidium elapsum annuere is votis meis simulabat. Poenas igitur appetitus haud prohibiti visi cum nullas darem, audacior sensim reddebar, sed eheu! magno meo malo, sera quippe poenitentia motus, pudori mihi ducebam merito, quod Medicus cautior haud exstitissem, periculumque quod vitae imminebat forte iuuissem magis, quam arte rigidissime et castissime tantae aegritudini adhibenda declinare laborassem. En ingenuam delicti confessionem! Miserant amici qui nullam mali diagnosin, neque iuuantium et nocentium notitiam habere poterant, Hirschberga vinum Canarinum, quod tanquam minus respondens statui meo morboso seposueram hactenus. Magnam vero iam eius cupidinem excitabat debilitas summa, et siticulositas ingens, analepticum quid appetens; adiiciebat voto meo suum calculum iusculi vinosi assumti deceptrix innocentia, quin si permissu et suasu magni *Sydenhami* liceret dysentericis capere pauxillum vini Canarini, id etiam mota saliua cholericis fore licitum prona consequentia statuebam non satis forsan considerans febrem, oblitusque fere sensibilis ardoris interni. Adeo scilicet miseri nitimur in vetitum, ratiunculasque plausibiles et colores errorum

vinum Canarinum.

rorum vitiorumque ingeniosi comminiscimur. Interea tamen non prorsus incurius salutis meae ponderare militantia inter se affirmatiua et negatiua argumenta intermittebam, sed mitis et blanda et pinguis huius vini indoles, et largiores aquosi potus omnino interpolandi meque, vt credebam, securum praestituri a damno, breui efficiebant, vt cochlear nectaris huius lenta deglutione omnibus suis guttulis linguae papillulis apprimens, ineffabili voluptate sorbillarem. Liber permanens ad tempus, ab omni mulcta subinde iisdem deliciis degustandis indulgebam, ita tamen vt vinum aut cum multa aquae copia remiscerem, aut puri modicae admodum quantitati largam aquae quantitatem superbiberem. At o me miserum! vini circiter tribus aut ad summum quatuor vnciis ita absumtis vno impetu commissi peccati vindex insurgebat ardentissimus in imo ventre dolor, frequentiores reddebantur pulsuum ictus, tristisque adeo mihi nascebatur sensatio, ac si carbonibus quos in intestinorum volumine tuleram hactenus accessisset afflatus, eosdem in apertum ignem et voraces flammas incitans. Nil videbam aptius quo cito restinguerem minax hoc incendium, quod crebriores bilis vomitus deiectionesque iteratas secum adducebat, quam aquam et infusum potum (Thée)

noxae ab eodem.

diluentibus correctae.

(Thée) quod iubente imperiosa necessitate, quicquid contradiceret nausea, parvis sed repetitis dosibus ingerebam eo effectu, vt horae spatio accensas nouiter vinoso pabulo flammas cohibitas sentirem, pristino igne interim furere vt antea non desinente.

§. 24.

Dum autem ita vini dolosam dulcedinem discebam, idque homini comitatem et beneuolentiam inter verborum lenocinia simulanti, vt fraudi pedissequae faciliorem aditum pararet, tacitus comparabam, intrat conclaue motus amicorum meorum Hirschbergensium petitis, proprioque in me affectu, Vir Clarissimus et Doctissimus, Physicus Circuli, *Iohannes Ehrenfredus Thebesius*, cuius et vultu, et humanitate, et morum studiorumque elegantia Parentem scripta dissertatione *de circulo sanguinis in corde* celeberrimum, exacte referentis accessu, ita recreabar, vt oblitus quasi ad tempus meorum dolorum amice cum eodem confabularer inter gemitus, mitiusque fere quam par erat, illum de rerum mearum statu mea loquacitate sentire facerem. Nunciatum ipsi fuerat, me a refrigerio et diaetae erroribus aliis, laborare colica grauiore, quare emulsionem secum attulerat, spiritumque vini camph.

camph. addita theriaca pro inunctione externa, itemque terebinthinam clysmati indendam. Quamuis autem audita a me patienter morbi historia pulsuque explorato statim de eius ingenio aliter statueret, atque in meam abiret sententiam, tamen allata pharmaca non omnino aliena fore ab indicationibus mihi formandis, doloribusque magnum leuamen promittere diserte satis mihi persuadere nitebatur. Multa gratiarum actione excepissem emulsionem, si per auersionem insuperabilem licuisset, tanto minus mihi displicentem, cum semina recentia haberet, quae alio anni tempore diu iam asseruata in pharmacopoliis rancida sunt, vt adeo ab iis praescribendis eapropter ordinarie abstineam. Linimentum vero procul abesse iubebat hesternum experimentum cum camphora factum, quae et in oleo blando soluta ardorem adauxerat, seuerumque illud ex vini vsu enatum dogma, quod palam profiteri fere erubescebam, durius iniungebat, cauerem mihi solerter ab omnibus internis et externis acribus, quare etiam terebinthinam neutiquam admittere poteram. Pollicebar interim valedicenti meque bene sperare iubenti optimo Viro, permissurum me libenter, vt clysma ex solo oleo infunderetur, stabamque fideliter promissis meis, postquam

spiritus vini camphoratus repudiatus.

clysma oleosum.

balneum. quam in emollienti balneo ſedens horulam abſumſiſſem. Lectulo poſtmodum exceptus applicitoque clyſmate paululum mitiores dolores meos ſentiens denuo ſpeculabar minus expectatum infauſtum illum vini Canarini effectum, cumque mea culpa adeo ſiniſtre ceſſiſſet ex praeſcripta medela dyſenteriae petitum, ſiniſtre rebus meis applicatum conſilium Sydenhamianum, aliud eiusdem viri ſummi, quod in ipſa Cholerae curatione cordatus ſuppeditat, certius facturum in meos vſus, de tenuiſſimo pulli iuſculo, quod fere Italorum Brodo longo eſt, largius hauriendo experiri ſtatuebam. *iuſculum pulli.* Quamuis autem id omni ſale carens ineptum ſatis haberetur ex ſucco ſitientique palato, omnibusque meis languoribus reficiens, tamen magna *Sydenhami* veneratione ductus, non mediocrem eius copiam obloquenti ventriculo obtrudebam, nauſeam et vomitus parum curans, ſatisque gnarus non curando toti morbo, ſed eluendae ſaltem cauſae a praeſtantiſſimo viro illud deſtinari quam nimis alte adhuc radicari in meo corpore certiſſimus ſciebam. Pergebam eapropter in aſſumendo nouo hoc remedio, quod multis nominibus ſeſe mihi commendabat ſatis ſtrenue, quaſi ille ipſe praeſens mihi Imperator vitae et necis adſtitiſſet; eo autem acrior afflictio perturba-

turbabat animum, quod ſub ipſa negotioſa hac opera quam eneruandae cauſticae acrimoniae impendebam virulentos eius effectus nihilominus indelebiles deprehenderem, veſperaque ingruente atrocius multo doloribus ardoribus malisque omnibus inde pendentibus angerer. Nil immanibus hiſce miſeriis minuendis par habebat ingens pharmacorum farrago, praeterquam opium; tacere autem hic iubeo omnes Medicos eius Oſores, et finem facere dehortationibus dum de proprio corio non luditur. Experiantur vero per aliquot momenta, quod ego expertus ſum, ſciant quod ipſe ſcio, opio non tolli cauſam cholerae, ſed ſimul ſciant dari remedium quod paret dolorum inducias, ſi vel illae per horae quadrantem ſaltem durauerint; et depoſito pretio ego certauero, extorſuram illorum vehementiam et iis qui cum Stahlio atque aſſeclis opium impoſturae inſimulare non dubitant, in his caſibus adhibitionem alicuius anodyni. Eccur ergo ego qui opium ſuo iure magni facio a capienda laudani doſi abſtinuiſſem quo fere ſolo confici feliciter therapiam morbi *Sydenhamus* aſſeuerat. Sequebantur omnino vſum ſperata halcyonia, ſed eheu! non deerat, quoque mihi triſtis occaſio addiſcendi laudum quibus nimis et minus circumſpecte id remedium interdum

opium.

terdum afficitur limites, si euagandi in illas licentia mihi vnquam placuissem. Namque obtusa ad tempus aliquantisper dolorum acie et exspirante actione pharmaci in se ad hunc morbum praestantissimi, nihilominus antiquatae iterum subiiciebat cruciatuum tyrannidi, quae inter vomitus et sedes copiosissimas semianimem me fere reddentes adeo protervа rabie in viscera mea saeuiebat, vt certum exitium instare colligerem. Atque tunc sane omnium terribilium terribilissimum mors, non truci adeo vt solet communiter facie mihi obuiam incedebat; liberari quippe anxie cupiens breui me liberatum iri ab ita grauibus mortalitatis vinculis sperabam. Vera loquor, valens nunc et praeterita respiciens:

aerumnarum summa exacerbatio.

Cum subit illius tristissima noctis imago, grauiori multo horrore reminiscor malorum superatorum, quam tum eundem persensi, cum parum abesset quin iis pressus prorsus opprimerer.

§. 25.

Dies morbi quarta. mors instare visa.

Dum vero ita incassum actis omnibus, quae ex mente summorum in orbe medicorum agi poterant, immedicabilis aegritudinis victima futurus, me in mediis mortis faucibus haerere arbitrabar, decretoriaeque horulae aduentanti iteratum

tum aue tranquillus acclamabam, omnia quae aeternitatis limen feliciter ingredi anhelanti peccatori deerant, poenitens fidenter vſurpaturus ex viſceribus Domini *Ieſu Chriſti* imminente diluculo vitae crepuſculum annunciante, Sanctae Euchariſtiae viatico ante abitum recreari, munirique exoptabam. His Epulis quas praeguſtum vitae beatae voluit amantiſſimus Seruator vltima vice languentiſſimam animam recreaturus, dum voti ſtatim compos reddebar, recordabar probe omnium eorum, quae de ſacra ſynaxi antea ſaepius cogitaueram. Retuli hactenus et referam porro fideliter, in morbi quem deſcribo hiſtoria, cogitata illa, quae mihi in corporis ſanatione occupato naſcebantur; cur non liceret ſincere etiam referre meditationes, quae de animae medela ſollicito obuerſatae ſunt, quasque olim toties inſtitutas ruminare iam cum cura, atque in ipſo quem expectabam mortis articulo, in ſaluberrimos vſus conuertere poteram? Digrediar itaque pauliſper ab illa via, quam calcaui hactenus Medicus, percurramque pro viribus aliquem campum theologicum, meum breui ingredi iterum haud intermiſſurus. Per ſtabilitum decretorum diuinorum ordinem, quae vnicuique mortalium ſuas in hac vita partes explendas demandant, exercendae arti

vſus S. Euchariſtiae.

Cogitata de eadem.

 omnium

omnium facile nobilissimae destinatus, corpusque humanum obiectum nactus, in quo defixus haererem, cuique maximam partem studiorum laborumque meorum deuouerem, saepius illud tanquam Bibliorum naturae primum et potiorem Tomum contemplatus sum. Nihil autem corporis vitam, sanitatem, morbos, medelam, respiciens, verum esse conuictus reputaui hactenus, quam quod legeretur in omnibus eius visceribus, quasi tot foliis, consideratione diligenti inuolucrorum, modique quo illa his compacta sunt, haud omissa. Literas saepe nimis minutulas oculo armato vix indagandas, quarum magnam partem rubro suo pigmento plenius in sensus incurrere fecit et legibilem reddidit *Ruyschius*, multa antea obscura clariora nostro aeuo effecisse, impense gauisus sum multoties. Dum vero callidissimam diligentiam detegendis abstrusis omnibus nec suffecisse hactenus, nec suffecturam vnquam intellexi, legem mihi inuiolabilem sanxi ipse, ignorandi cuncta quae sensu non assequor, neque impune et gratis aliquid fingendi. Vt vero corpus humanum ad Biblia naturae refero, ita reuelationem ab ipso illo Autore eorum diuinitus nobis indultam Biblia gratiae habeo, vitam, sanitatem, morbos, medelam animae docentia. Pertinax

veritatum medicarum per fabricam corporis stabilienda firmitas.

Reuelationis auctoritas.

nax nil huc faciens credo, nil verum reputo, nisi in eius foliis legatur; nil fingo amplius, nil muto, nil addo, vt in mea medicina cerebrinas hypotheses a corporis fabrica, motuumque per eam succedentium legibus alienas, ita in religione commenta, traditiones, detortas interpretationes aeque horrens, huicque et illi immensum inde damnum accessisse conuictus. Sed multo plura in his Bibliis gratiae comprehensa fugiunt luscos nostros et obtusae aciei oculos, donec in mundo commoramur nunquam satis armandos. Spiritus saltem noster inuisibilis ipse videt iam solis oculis fidei, et olim videbit clarius intricata rerum diuinarum nostraeque salutis mysteria, atque quo sapientior est, eo magis ipsa interim credit, et admittit, tot mysteria naturae, tot mysteria corporis humani, mysteria morborum et symptomatum, mysteria operationis remediorum obseruans, stupens et negare non audens. Illorum vero mysteriorum de quibus reuelatio aliquam nobis notitiam concessit, omnes nostri intellectus limites infinities transcendentium, rudis et sensualis nimis explicatio, mea sententia non potest probari Philosopho Christiano, veritatum altiorum vltra sensus euectarum aliquem praegustum assecuto. Post haec Biblia gratiae, et post eorum sectionem prae-

mysteriorum existentia.

primaeuae Ecclesiae puritas. cipue posteriorem N. Test. libros, mihi quidem maxime primaeua Ecclesia quoad credenda et facienda, quatenus illa cum effatis Scripturae S. consentiunt, in consilium vocanda esse creditur, praxisque christiana quo propinguior vitae et morti *Iesu Christi* vtpote antiquitate, veritate, et puritate maxime insignis, imitationem poscere. Multum ergo etiam ad dirimendas lites Christianorum in sectas diuersas abeuntium valere debent monumenta antiquissimorum Patrum, licet numero paucorum, nam cum sublestae fidei Autoribus sapienti nulla res est, *Clementis Romani*, *S. Ignatii*, *Iustini Martyris*, *Tertulliani* aliaque ad fidelem Historiam Ecclesiae primorum Seculorum facientia.

§. 26.

Antiqua S. Eucharistiae facies. Haec omnia si iam peruestigemus, quam accuratissime ab omni partium studio alienissimi atque cauti porro de seculo in seculum procedamus, conuinci debemus per integros 800. post Christum natum annos, celebratam esse Eucharistiam institutioni Seruatoris in Sacris Bibliis descriptae apprime respondentem, nemine vel de Transsubstantiatione, et mutatione aliqua panis et vini in corpus et sanguinem, vel de absentia corporis et sanguinis a pane et vino somni-

ſomniante. Vtinam ita perrexiſſent Chriſtiani, ſed a media veritatis ab ipſo ore diuino promulgatae via dextrorſum, ſiniſtrorſum receſſerunt, aliis ſenſibus noſtris nihil, aliis nimium tribuentibus. Quidam ſcilicet renuente ſenſu, qui panem et vinum oculis vſurpat abſentiam tamen eius et mutationem in corpus et ſanguinem vrgent, alii quia ſenſus vere panem ſaltem et vinum detegit, corporisque. et ſanguinis Chriſti praeſentiam non aduertit, et corpus et ſanguinem abeſſe aſſeuerant ſignificatu ſolo et figura vtriusque contenti. Quis vero ſolidae veritatis amans negare ſuſtinet, binarum harum ſententiarum a verbis inſtitutionis omnino alienarum, primam originem totam deberi duobus Monachis, Corbeienſibus dein Abbatibus, qui Seculo IX. demum floruere, *Radberto* et *Ratramno* vel *Bertramo*, vt aliquibus audire ſolet, quibus tamen poſt verba Scripturae, teſtimonia primorum Patrum ritusque Eccleſiae antiquiſſimi, prorſus contrariantur. Memoratu digniſſima, ex quo in ipſa incidi, ſemper mihi viſa ſunt verba Patris primi Seculi, *Clementis Romani*, [1]) qui tempore Apoſtolorum adhuc vixit, quemque Paulus ad Philipp. IV, 3. cooperariis ſuis annumerat: *Quisquis ordo ſeorſim corpus Domini et pretioſum*

Nouitates Radberti et Bertrami.

alienae a Patrum antiquiſſimorum ſententiis.

1) Lib. II. Conſtit. c. 57.

tiosum sanguinem sumat cum pudore et reuerentia, vt ad corpus regis accedentes; ex quibus clare ni fallor apparet, ipsum in Eucharistia realem corporis et sanguinis Christi praesentiam agnouisse. Quodsi vero aliquis *Clementis* laudati constitutiones apostolicas in quibus ille locus habetur, subleſtae fidei libris addi debere vrgeat, cum *Riueto*, *Cauio*, *Ittigio*, *Ellies* du *Pin*, saltem Seculo II. *Iustinus* Martyr sacra Eucharistiae munera absentibus etiam missa a conuentibus nempe publicis prohibitis propter persecutionem, captiuis, aegrotantibus, *non merum esse panem et vinum, sed et carnem et sanguinem* diserte pronunciauit. [2]) En assertam communionem vtrorumque neutrum sine altero supponentem. Eodem Seculo *Tertullianus*, qui *Lib. IV. contra Marcionem* de figura quidem corporis Christi locutus, nullibi vero de figura sola, et absentia corporis verba faciens diserte scripsit: [3]) *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, vt et anima de Deo saginetur.* Eodem Seculo per doctrinam S. *Ignatii* illi haeretici habiti sunt, qui Eucharistiam carnem Christi esse negarent. Atque hanc communicationem Corporis et panis, vini et Sanguinis, magno consensu praecipui sequentium tempo-

2) Apolog. II. c. 86.
3) De resurrectione cap. 8.

temporum Doctores Ecclesiae *Chrysostomus*, *Cyprianus*, *Leo* primus, *Gregorius*, *Ambrosius*, *Augustinus* asseruerunt. Multum Ponderis his testimoniis addit rituum simplicitas, quibus S. Coena primis tribus potissimum seculis peragebatur, ea prorsus methodo qua Saluator vsum praescripserat, sine respectu alicuius sacrificii, sine altari, qualia tum Christianis non erant, solo beneficio mensae sine sacerdote, nam et a Patribus familias celebrabatur, vt egregie docet Vir eximius iurisque ecclesiastici peritissimus D. *Iustus Henning Boehmer*. [4]) Aliter autem omnia haec agi coeperunt pededentim, et post ea maxime tempora quibus Nouaturientes *Radbertus* et *Ratramnus* s. *Bertramus* a verbis *Christi* Testatoris, et scripta litera secedentes cerebrinis suis conceptibus indulsere, quorum ille supernaturalem panis benedicti mutationem asserens Romanensium Transsubstantiationi, hic *Ioh. Erigenae*, natione Scoti, Professoris Parisiensis disputantis contra eos, qui ita statuere incipiebant, inque alterum extremum deflectentis, ac praesentiam corporis et sanguinis *Christi* in S. Coena negantis vestigiis incedens, solamque imaginem corporis Christi adesse docens, Refor- *a Reformatis et Romanensibus adoptatas.*

G 4 mato-

4) Diss. IV. ad Plinium et Tertullianum §. 22. 29. 30.

matorum opinioni anſam dedit. Propagati nempe abhinc ad noſtra tempora abuſus hi et errores. Seculo vndecimo, quod vt praecedens decimum, ferax erat nouitatum et ceremoniarum eccleſiaſticarum, a fidei puritate et ſimplicitate abhorrentium, in ſacrificium pro viuis et mortuis ſacra Coena abibat. Eodem Seculo *Berengarius* quamuis criminis haereſeos accuſaretur, *Ratramni* ſententiam recoquens, figuratam tantum praeſentiam non realem corporis et ſanguinis Chriſti in Euchariſtia agnoſcebat, acriterque diſputando mentem ſuam defendebat, eam tandem eiurare et palinodiam canere coactus, licet illam ſine dubio ſub induto etiam cucullo retinuerit. Seculo duodecimo nouum prorſus et barbarum Transſubſtantiationis nomen a Stephano Epiſcopo Auguſto Dunonenſi demum inuentum, quod Seculo ſequenti in Concilio Lateranenſi retinendum ducebatur, donec in Tridentino inter fidei articulos reciperetur, hodie adhuc ſancte reſeruatum. Seculo decimo ſexto *Zwinglius* Vir eruditus ſtrenuus apud Heluetos veritatis euangelicae defenſor *Lutheri* reformationem probans, et communi ſtudio iuuans cum eodem Marpurgi colloquens, et in plurimis conueniens, ſed eheu *Berengarii* dogmate de Euchariſtia transuerſim actus, id

earum per ſecula incrementum.

Zwinglii et Lutheri merita.

Zwinglii error.

d acriter propugnauit, et cum *Oeco-lampadio* per Heluetiam disseminauit. Vtinam mutuum hoc colloquium feruido in tuenda veritate *Luthero* intercessisset cum doctissimo *Caluino*, nisi quidem vehementer fallor circa Eucharistiam aliquantisper lutheranizante; quem quod non rotunde *Zwinglii* sententiae subscripserit, vel potius quod non adeo aperte ac is, verbis Christi testatoris contradixerit, ipsis Caluinianis displicere certum est. Sane eapropter non probatur Reuerendo Autori tractatus vernacula lingua conscripti, *vindicatam Christianorum fidem* complectentis, adeo quidem vt illum aliquid humani passum asseueret, dum ipse verba institutionis, verbaque Apostoli *Pauli* aliaque loca quibus *Lutherus* cum sequacibus firmiter insistit, in vita torquet in suam sententiam, exegeseos certe modo, qualemcunque sensum ad literam immutare apto, si imitationi libertas esset. Rectissime *Lutherus* pertinax inhaesit propositioni exhibitiuae: *Hoc est corpus meum*, neque patitur κοινωνία Paulina *1. Epist. ad Corinth. cap. XVI. v. 16.* vt manus faciles praebeamus Reformatis quamuis eorum sententia fateor ingenue, si soli rationi locus esset, huic maximopere queat arridere. Non aliter vnquam sumitur κοινωνία a scriptoribus graecis, quam pro com-

Caluinus mitior.

Lutheranorum Eucharistia institutioni Seruatoris vnice conueniens.

κοινωνία.

communione vel communi vnione au societate; clarum autem eſt communem vnionem et ſocietatem non poſſe ſignificare vnam ſaltem et ſimplicem rem, sed terminum hunc inuoluere neceſſario combinationem duarum vel plurium, absonum enim eſſet cogitare vnam ſubſtantiam, cum ſe ipſa communem vnionem nactam. Κοινωνία ergo panis et corporis, calicis et ſanguinis, de qua ſola et nulla alia re, per ipſam vim verborum hic Paulum loqui manifeſtum eſt, (quicquid fingant aliud quorum intereſt) non fauet Romanenſibus, et eorum Transſubſtantiationi, etenim poſita hac in Euchariſtia, ſaltem adeſt corpus et sanguis nullus amplius verus panis, nullum vinum; neque fauet Reformatis, nam i admittunt ſaltem panem et vinum, nullam praeſentiam corporis et ſanguinis. Nec his ergo nec illis Euchariſtia eſt communio, pro qua tamen expreſſe declaratur a *Paulo*; ſoli adeoque Lutherani vtuntur Euchariſtia ad mentem Chriſti eius Apoſtoli verba inſtitutionis inculcantis et explicantis, ac primitiuae Eccleſiae.

§. 27.

Praeſentia corporis et ſanguinis

De his omnibus ſatis certus et conuictus, iam optarem ſaltem, vt de ipſa praeſentia corporis et ſanguinis *Chriſti* dignan

dignam ſatis, atque vere vltra rudem illum Capernaiticum euectum conceptum fouerent omnes, qui eandem mecum Religionem profitentur, quem nimis animis illiteratorum, et forte literatorum haud paucorum inſidere doleo. Diſputantes contra Transſubſtantiationem Theologi noſtrates eruditi, poſt argumenta e S. Bibliis petita, ſenſibus externis fidem omnino habendam, quodque illi ſi recte diſpoſiti fuerint ſemper et vbique teſtantur, id neceſſario verum eſſe declarandum vrgent; quod vero poſt putatitiam transſubſtantiationem, panis et vinum veram ſubſtantiam ſuam retineant, teſtari viſum, guſtum, tactum, olfactum, contendunt, quare poſt conſecrationem ſubſtantiam panis et vini, quae cum accidentibus ſuis exiſtit, et cum iis exiſtere pergit, neceſſario adhuc praeſentem eſſe monent. Affirmant porro ſtrenue non equidem licere nobis beneficio ſenſuum iudicare de rebus ſpiritualibus, deque myſteriis nullam connexionem cum rebus corporeis et ſenſibilibus habentibus, vt eſt illud de S. S. Trinitate, quae in ſenſus non incurrit, omnino autem iudicium licitum eſſe, de illis myſteriis, quae connexionem habent cum rebus corporeis vt ſunt ſacramenta, quorum ope Deus nobis inuiſibilem ſuam gratiam per ſymbola viſibilia exhibes,

rudes ideae euitandae.

bet, adeoque de pane et vino rebus corporeis et ſenſibilibus quantitate, figura colore, guſtu, tactu, viſu, perceptibilibus, licere adſerere, an adſint vel abſint. Reſpondent ſimul ſagaciores calli de nobis obiicientibus fallaciam ſenſuum nunquam fallere ſenſus, organis rite diſpoſitis; myſteria eſſe ſupra non contra rationem, repugnare diuinae ſapientiae et immutabilitati inuerſionem ordinis et nexus ſemel conſtituti in natura rerum remque viſibilem ſacramentorum ſubiectum omnino eſſe ſenſibus et rationi Ita certe inter alios ſeſe geſſit *in polemicis inſtitutionibus contra Romanenſes* magnus et orthodoxus Theologus *Rambach* Quidſi vero nunc Reformati diſputantes contra nos, iisdem armis vtantur, quibus nos vtimur, idque quod concedi nobis a Romanenſibus poſtulamus, quando de praeſentia panis et vini res eſt ſibi concedi non minus iure velint quando de corpore et ſanguine Chriſti vel abſente vel praeſente agitur. Id ſane antea ipſis vitio verti nequit, quam verbis Chriſti contradicere inceperint; ſed Theologi noſtrates tum reſpondent ſapienter, ex ipſis libris noſtris ſymbolicis, cum pane corpus Chriſti inuiſibile modoque ſupernaturali praeberi communicantibus. Haec vero ſi ita ſeſe habeant, nullius opinor haereſeos inculpabor merito,

ito, neque peccati in Seruatorem meum, uius morte redemptus ſum reus fiam, i Medicus illam carnem muſculoſam *Chriſti*, quam geſſit ambulans in terris, quae perpetua nutritione indigebat, noſtraeque naturali cum omnibus ſuis fibris ſimilis erat, ſi illum ſanguinem, quem cordis et arteriarum virtute in orbem pulſum elaborauit vi viſcerum, ex aſſumtis alimentis et potulentis, vt noſter elaboratur, quique effuſus dum pro nobis mortem oppeteret, computruit tandem ſine dubio, vt noſter putredini obnoxius; ſi inquam illam fibroſam carnem, illum ſanguinem rubrum, neutiquam adeſſe in Euchariſtia ſtatuero, ille enim oculis tum vſurpari poterat, et a nobis nunc vſurpari deberet. An enim nunc ad dextram Patris conſedentem et pro nobis intercedentem Redemptorem *Ieſum Chriſtum* non cibantem et bibentem vt faciebat in terra, talem carnem et ſanguinem nobis ad haec tempora exhibere credendum erit, qualis ex cibo et potu conficitur, per leges naturales humanorum corporum. Sacram coenam inſtituit *Chriſtus* antequam corpus ſuum et ſanguinem Paſſioni ſubiiceret, non poterant ergo edere diſcipuli eius corpus materiale triſtem lanienam nondum expertum, ſanguinemque materialem bibere, nondum effuſum. An vero aliter

nos

nos vtrumque facere volumus, ac communicantium omnium primi? Dum in Sacramentis rem terrestrem et rem coelestem adesse vrgemus, vix aliter adesse Christum in coelos euectum pani et vino quam coelestem spiritum aquae baptismi credendum erit. Displicet Theologis nostris rudis sententia *Radberti* in figura panis et vini nihil esse aliud nisi carnem Christi et sanguinem, non aliam quam quae nata sit ex Maria, passa in cruce et resurrexerit e sepulchro. Displicet inquam Theologis haec sententia, sed multo magis displicere debet Medicis, nam nutritione innumerabilibus vicibus mutatam, deperditis continuo et restitutis continuo elementis carnem a natiuitate vsque ad mortem habuit Servator, aliusque omnino indolis et subtilioris certe fuisse debuit caro, qua resuscitatus a mortuis per clausas portas penetrauit ac illa quam gessit ante mortem. Displicet Seculo decimo crescentibus erroribus de S. Coena *Nicolaum II.* Pontificem reluctanti *Berengario* Abbati iniunxisse, vt iureiurando polliceretur, se credere velle sensualiter a manibus Sacerdotum tangi, frangi et fidelium dentibus atteri corpus *Christi*; namque confessores fidei nostrae damnant vnanimes Capernaiticam manducationem ipsius quasi dentibus laniaretur, et instar alte-

rius

ius cuiusdam cibi in corpore digereretur. [1]) Haec tamen omnia concedenda nobis essent, si materialis et physica nobis assereretur praesentia corporis et sanguinis. Verum certi potius nos consentientibus Summis Theologis nostratibus supernaturalem manducationem et bibitionem asserimus, [2]) credimusque conuicti, quod si etiam vomitu reddatur statim omnis panis cum vino omni, quod ipsum aeger ego valde metuebam, non proinde perire vsum corporis et sanguinis, patet ergo nil materiae corporeae et sanguineae inhaerere pani et vino, quae cum eodem reiici perdique debuerat. Igitur simul dare tenemur cum grano salis accipiendam esse communem phrasin, *In*, *Cum* et *Sub*, de qua in S. Bibliis nil legitur, vi enim eius perderetur id quod inerat vehiculo et velo simul ac hoc perderetur. Tolerari illa potest si perpendatur, magis ea ad reiiciendam transsubstantiationem et probandam vnionem sacramentalem corporis Christi cum substantia panis non mutata, quam ad explicationem mysterii inexplicabilis vti Euangelicos. Conuenientius opinor et dignius loquuntur cum

1) In epitome Articulorum de quibus controuersiae ortae sunt inter Theologos A. C. Catechismo maiori subiuncta p. 604.
2) Loc. cit.

cum S. Bibliis Theologi de famelica et ſitibunda Deum anima, deque cibo et potu ſpirituali, ſique haec de ſacra ſynaxi valeant, procul eſſe debet a noſtro conceptu omne id, quod phyſicum quid ſapit, quodue ſaturandis immaterialis animae deſideriis haud reſponſurum erat. Tranſcendunt phyſicas corporum proprietates media quibus ſaluamur, quibus exhibendis vniuerſa natura haud ſufficiebat; fides noſtra vnice occupatur inuiſibilibus, ſenſibusque omnibus externis neutiquam aſſequendis. Eodem tempore quo vtimur pane et vino benedicto, impetrata per mortem *Ieſu Chriſti* certitudine remiſſionis peccatorum, propter quae aliter in aeternum ab eius vnione ſeiungendi eramus, communis iterum intercedit vnio et Chriſti et noſtri, modo incomprehenſibili, et inexplicabili. Pauxillum autem panis et vini *Chriſti* omnipraeſentis et omnia implentis cum omni merito ſuo, nam totum noſtrum eſt, vehiculum quaſi velle ſtatuere, nimis abiectum, nimis humanum foret, et diuinitati Redemptoris repugnaret. Nec idea loci, quae finium circumſcriptorum notionem inuoluit, nec extenſio corporibus propria in longum et latum, nec vlla corporum affectio, cohaeſio, denſitas, etc. ſeſe patitur applicari ad infinitum Deum. Didicimus

mus nostro seculo in quot errorum syrtes abducant considerationes Seruatoris humanitati nimis inhaerentes, diuinitatis pene oblitae deque vulneribus et sanguine Christi pueriliter ineptiens et delirans, ad blasphemias vsque, profanum Herrnhuttianum vulgus, religioso zelo horremus, totoque pectore detestamur. Cauti esse debemus diuina terminis quibus homines vtimur exponere aggredientes, quae Angelorum adeo inquisitionem effugiunt, atque abstinere oportet a condendis celeri meditatione systematibus Theologicis, et mysteria, quae Biblia non explanant Aristoteli quoque inexplicabilia habere decet. Ego vero Laicus tanto iustius debeo acquiescere. Contremisco ausurus verbis Christi vel demere vel addere punctulum aut literulam; horreo mutaturus sensum si a litera scripta et valore vocabulorum tantillum discessero. Malo non intelligere quomodo Christi eiusque corporis et sanguinis vel mortis et meriti illius fiam particeps, quam disputando, dubitando, negando, communione Seruatoris carere. Nulla autem vis infertur sacris paginis, si Christum omnipraesentem et omnia implentem adesse Eucharistiae corpore simplici quale fuit eius a mortuis resuscitatum glorificatoque statuerimus. En! omne quod dare possumus,

 sed

ſed et quod dare debemus Reformatis; vtinam illi nobis dent, quae vi effati Chriſti *Hoc eſt:* nobis dare coguntur. Ita per Theologos ſagaces, ſapientes, veritatis amantes, non ſuperciliosos, et contentioſos, non ſuorum ſyſtematum nimis tenaces conciliationi Eccleſiarum noſtrarum forte aliquando locus eſſet, quarum diſcordiam toties gemui tacitus. Semper viſa mihi eſt phyſica et medicina aliquid conferre poſſe, ad litium multarum vtrinque nimis animoſe motarum placidam compoſitionem, atque ad iuvandam illam λογικὴν λάτρειαν, quamuis vtique neutra illarum penetret in myſteria theologica. Multae certe hac ratione ſponte cadunt obiectiones Caluinianorum, quibus aliquid abſoni et contradictorii ineſſe fidei noſtrae articulis contendunt. Si myſterium de Deo carnem induente tale habetur vt haberi debet, iuuabit etiam agnoſcere id myſterium, quando Θεάνθρωπον Seruatorem carne ſua glorificata nos intrare, nobisque intime vniri aſſeueramus. Atque certe talibus cogitatis immoriturus eram morti proximus aeger, iamque dum illa in chartam coniicio, video multo cum gaudio ſimilia eſſe ſententiis vt aliorum doctiorum Theologorum e noſtris, ita praecipue Magni Viri *Leonhardi Hutteri*, cuius verbis ne quis Lectorum me libe-

rius

rius hinc inde ſenſiſſe reputet, tanquam ſigillo mea obſigno. *Spirituali*, inquit, *ſiue glorioſo et incomprehenſibili modo corpus Chriſti alicubi eſſe poteſt, vt loco non circumſcribatur, ſed per omnes creaturas penetret. Modus iſte idem eſt ac ille, quo ipſa corpora in momento Chriſtus penetrare potuit: quo etiam modo corpore ſuo nunc eſt in coelis cum Angelis et beatis coelitibus non ſpatia locorum occupans, ſed ſpirituum more quiduis in momento penetrans plane ἀπεριγράπτως et ὑπερφυσικῶς; quomodo nos etiam expectamus corpora corpori Chriſti in reſurrectione iuſtorum σύμμορφα. Et profecto cum Chriſtus corpore ſuo iſto modo potuerit eſſe citra dimenſionum et locorum conditiones in lapide et foribus clauſis, ita quidem vt non menſurarent ipſum aut comprehenderent: nihil certe prohibet quo minus eodem modo poſſit etiam eſſe in pane Coenae, vel pani in coenae vſu adeſſe.* [3]) Grates indicibiles ſinceritati Summi Hutteri! bene ſit candidae ipſius animae in aeternum! iam redeo ad me.

§. 28.

Atheorum morti proximorum miſeria, et Philoſophia moribundis inſufficiens.

Obfirmato ita inter eiusmodi meditationes religioſas per ſacras epulas animo, breui corporis exuuias poſiturus, intemeratis tamen viribus mentalibus pol-

3) In explicatione libri Chriſtianae Concordiae art. VII, p. 633.

pollens accuratius diſcebam, quam miſera quamque vana ſint omnia, quae non ſine faſtu pro contemnenda morte a Chriſtianorum ſacris alieni veteris aeui Sophi, *Seneca*, *Carneades*, *Epicurus*, *Plutarchus* et alii ſuppeditarunt conſilia. Colligebam inde liquido, quam tragicus modernos inſipientis ſapientiae conſultos maneat ex hac vita diſceſſus, quicquid de glorioſo *Spinozae* fato vocali ſuperbia blaterent, qui ſui annihilationem inſtantem aut credunt, aut ſtigmatibus conſcientiae agitati exoptant, aut ſaltem futura omnia dubia et incerta eſſe, praefracte contendunt. Neque etiam recentiorum ſaniorem Philoſophiam moribundo ſufficere intelligebam, namque inconcuſſam de veritate alterius vitae corporis noſtri vita hic deſinente, certo inchoandae, conuictionem ſola parit reuelatio, licet ipſa Philoſophia repugnet minime, ſed potius et poſſibilitatem et probabilitatem ſummam ſibi relicta, ſed luſcis quaſi ſaltem oculis introſpiciat. Immortalitatem animae humanae admiſſam ab omni aeuo a ſapientiſſimis mortalium, atque ſi vnquam noſtra aetate adſtructam ratiociniis ſeueriſſimis, et contra machinantem ingenioſam nequitiam inuicto robore reprimentibus, noueram equidem bene, ſed omnia ſi vel ponderoſiſſima forent, argumenta mihi vide-

videbatur ſuperare vel vnica recenſio Moſis, ortum animae ex diuino afflatu deriuans, eiusque adeo incorruptibilitatem hoc omni exceptione maiori teſtimonio, euincens. Quid autem tandem fuerit ſciuiſſe per philoſophica dogmata exiſtentem et ſuperfuturam poſt mortem corporis animam, ſciuiſſe exiſtentem Deum, ſciuiſſe ex Theologia naturali illum exiſtere ens ſummum abſolutiſſimae perfectionis; perſpexiſſe ex Iure naturali promulgatam vniuerſalem legem, habuiſſe eius indelebilem ſenſum internum, intellexiſſe legem transgreſſam multoties, intellexiſſe legis transgreſſae culpam, collegiſſe imminentem culpoſis transgreſſoribus poenam, ſi comparatione inter delicta noſtra cum infinita Dei iuſtitia inſtituta ignoretur culpae expiatio. O nos miſerrimos homines, niſi illam docuerit reuelatio, ſi Chriſtum crucifixum ignorauerimus, ſi meritum eius vnicum delictorum noſtrorum piaculum ſaluifica fide amplexi haud fuerimus, ſi ſine eius iuſtificante comitatu et praeſidio ex hac vita diſceſſerit ſuperſtes manſura rationemque reddere iuſſa anima. Ego quidem in id intuens ſolum, valedicebam inter mutuos amplexus lachrymans lachrymantibus amicis, adamatae meae arti medicae, omnibusque humanis ſcientiis, ac nil amplius ſcire, con-

Mors imminens per Chriſtum ſaluere iuſſa.

 tueri,

tueri, cogitare, geſtiens praeter *Ieſum* crucifixum, conuerſo ad parietem vultu dabam me totum recolendae memoriae amicorum, eorumque imitationi, quos eadem via orbem egreſſos conſpexeram, quorumque ad beatas ſedes euocatorum coetibus me breui addendum fore, inter ſupremas aerumnas tacite exſultabam.

§. 29.

Conuulſiones. Non autem ſine acerbiſſimo moerore a ſuauiſſimis hiſce cogitatis ab increſcente dolorum ferocia ruditer auocabar, atque ſubito crus dextrum ad extremum pedem tremere primo, dein iniuſſum fortius moueri animaduertebam, cumque pulſui explorando digitum admoueram a ſubſultantibus tendinibus ille vehementius retroagebatur ipſis brachiis tandem et faciei muſculis conuulſis.[1]) Mirabar perdurantem mentis integerrimae conſtantiam, ſed metuens valde ne breui alienaretur, ominabar mihi equidem reſponſuras grauitati morbi diriſſimas futuras conuulſiones vniuerſales, ſed inſcio

1) Omnes fere Autores de Cholera ſcribentes memorant inter alia ſymptomata ſurarum ſpaſmum. Aretaeus habet muſculorum in tibiis et brachiis conuulſiones, Sydenham. crurum et brachiorum contracturam, vt alios taceam.

ſcio mihi ſimul gratioſa atrocia feliciſſimam miſeriarum cataſtrophen indulturas, easdemque comites ad meliorem vitam a ſingultu immunis, compoſito animo expectabam. Verum vt Medicus nonniſi medens morerer, quemadmodum Imperatorem non niſi ſtantem mori decet, vtque praeuiſos motuum funeſtorum impetus, quoad fieri poſſet refraenarem, ac triſte futurum amicis circumfuſis ſpectaculum mitius forte efficerem, poſtulabam vltima vice id pharmacum, cui vni quando ab eminente dolore liquidi neruoſi ataxia inducitur, fidere poſſumus, reliquis omnibus nimis inertibus, opium, doſinque Sydenhamiani laudani deglutiebam. Hac vero accepta breui quaſi obliuionis poculum ebibiſſem, me meaeque ſortis duritiem paulo magis quam antea factum fuerat, neſcire incipiebam. Sine ſomno, ſine ſopore redditus quietior, atque in me ipſum quaſi allectus, nil me perſenſiſſe memini, quod moleſtiarum nomine veniret, tranquillitatis potius et ſufficientiae adhuc dum mihi non deguſtatae particeps, felici hac exſtaſi fruebar vltra horam, quantum quidem deinceps ex adſtantium relatione fida colligebam, diutiusque forte ea gauiſus fuiſſem, ni arida lingua humectationis auida ſenſum humanitatis morboſae reuocaſſet. Praeſto erat opium. quies.

erat iuſculum tenue pulli, cuius bonam quantitatem epotabam, refectionem inde non mediocrem obtinens, redditusque iterum mihi et cogitandi pro lubitu de rebus externis priſtinam libertatem adeptus, quod portento mihi ſimile erat, a tremore motuumque muſculoſorum anomalia omne corpus liberum prorſus deprehendebam, neque ſine ſtupore me tanquam a mortuis ſaltem certo a ſemimortuis, iubente ita vnico vitae et necis arbitro, reſuſcitatum contuebar.

§. 30.

Nauſea et vomituritio.

Verum licet forte hoc innocentiſſimum diluens vitali indicationi explendae, vtcunque aptum leuiſſimum nutriens praeberet, ac ſimul haerenti in inteſtinis morboſo ſtimulo, a quo iterum iterumque increbeſcens vomitus et diarrhoea pendebat, eneruando et abluendo eſſet apprime conueniens, non tamen mirifice debilitatis fibris ventriculi inteſtinorumque videbatur reſpondere, quando ingeſtum frequentius nauſeabundam ſenſationem vltra omnem ſenſationem moleſtam concitabat. Huic dum aliquam medelam adferre ſtudebam, non omnino iuſculo Sydenhamiano valedicturus, dumque ſimul putrido amarori, qui ſemper poſt laborioſiores vomitus in ore ſupererat, aptum antidotum

dotum quaerebam, ac fibris laxiſſimis conſulere aliquantiſper exoptabam, iuſculum aliud alioquin in deliciis mihi habitum ex fructibus cynosbatos aquae incoctis addito vitello oui et pauco ſacharo paratum, leni ſuo acido et auſtero principio, non incongruum fore meis finibus omnibus opinabar. Mirum quantum illud ſeſe gratiſſimo ſapore commendabat palato, auideque hauſtum omni expectatione maius praebebat analepticum, ac ſimul ventriculo adeo antea infirmo vt ructuum exploſioni vix ſufficeret, eximium robur addere videbatur. Iamque nondum elapſa horula de nouo earundem deliciarum commeatu mihi comparando cogitabam, cum haerere me ancipitem in meis deſideriis faceret acutius inteſtina ſtringens et terebrans dolor, anxietatis inurbanae ſenſum et aeſtum vehementiorem, qui et faciei genarumque praecipue rubore, ac ſiti auctiore ſeſe prodebat, poſt ſe trahens. Vix perſuadere mihi poteram, mala haec importunius adfligentia adſcribenda eſſe innocenti adeo mihi viſo iuſculo, verum cum incredibilem, eheu! inteſtinorum meorum ſenſibilitatem ſatis didiciſſem, atque dein me inſcio ad gratiam addita fuiſſe aliquot vini cochlearia, largioremque quam aeger ego ferrem pulveris cinamomi quantitatem comperirer,

iuſculum fructuum cynosbatos.

aeſtus et dolor increſcens.

culpam omnino ſi non ipſis fructibus, ſaltem his additamentis tribuendam eſſe introſpiciebam. Noua igitur quali liquidi genere aeſtum et ſitim reſtinguerem, naſcebatur mihi ſollicitudo, neſcienti quo me conuerterem videntique et probanti meliora, ſed ferre ea fere nequeunti, deteriora appetenti, ſed ſequi nolenti.

§. 31.

Cum in hoc biuio ſtarem meditabundus, medicus aegrotans bis miſer, imo vero terque quaterque, accedit ad me Vir Doctiſſimus et Conſultiſſimus *Chriſtianus Feiſt*, vt de rebus iudicialibus dynaſtiarum Schaffgotſchianarum optime meritus, ita et digniſſimus Bibliothecae Schaffgotſchianae Praefectus, ſecum apportans heri a me petita opera Praeceptoris B. *Hoffmanni* cuius cineres filiali affectu veneror; euolutumque capitulum de Cholera, neglectum forte hactenus paternum aliquod conſilium mihi in memoriam reuocare auenti, ipſe praelegebat. Statim vero vbi de acidulis in cholera potandis verba audiebam, reminiſcebar optimum Virum ſaepiuſcule non ſaltem indulſiſſe aegris ſuis in ſimilibus caſibus aquam ſimplicem frigidam, ſed et commendaſſe; maximo vero ſemper elogio fontem praecipue ſeltera-

Aquae Selteranae.

teranum tanquam ſumme hic proficuum cohoneſtaſſe. Illum igitur Hirſchberga cito allatum, delicatiſſimum ſitienti linguae futurum, nulloque contra indicante exſurgente, vere medicamentoſum ſeſe praeſtiturum augurabar; memor vero toties mihi natae experientiae cauebam ſollicite, ne actu frigidum caperem, imo vero licet transportatus Petersdorffium in itinere calori aëris ſatis eminenti fuiſſet expoſitus, ſaltem poſtquam in conclaui aliquamdiu adhuc ſtetiſſet lagena, non liberis hauſtibus, ſed cochleatim fere, et ore detentum, et tardius deglutire, audebam; adeo nempe circumſpectum me inducta ſtatim frigidis potibus dolorum exacerbatio reddiderat. O quanta cupidine parum alioquin bibax impigris hauſtibus ad fundum vacuaſſem nimis exiguam mihi apparentem, pro placanda mea ſiti, integram lagenam, ſi quemadmodum libebat, licuiſſet. Quam acerbe vero deplorabam impoſitum mihi, quod tantopere deteſtor, auaritiae exercitium, dum meae poteſtati ſubiectum aquae ſoteriae theſaurum, impendere tamen meis vſibus ad ſatietatem prohibebar! quam ſaepe vitrum pellucidiſſima lympha oculis placente repletum manu tenens in quo animus bibituriens totus natabat, Tantali ſupplicio meum infortunium comparabam! Interim ſi non

non bibebam, pitissabam minimum selteranum fontem, leniter frigidiusculum, singulasque eius guttas lento gressu defluentes intelligenter degustabam, sed pergens diu in amoeno hoc studio, et confidenter lenimen malorum et salutem inde sperans derelictum potius me vndiquaque videbam, atque nec ex hac scaturigine, vnde sanitatem et vitam hauriunt tot miseri aegrotantes, aliquid boni in me aerumnosum deriuari edocebar. Longissime aberam vt a molli hac et blanda et irritare nescia aquula, tantillum sinistri deduxissem; at vero nihilominus quae forte ipsa non exacerbarat vllo modo, sed compescere tamen etiam non valuerat tormina, dirissima iterum et increscentia per singula momenta sentiebam. Ea ergo tolerare summum proteruiae gradum adepta cum vomitibus et deiectionibus sociis nescius, valdeque meticulosus ne iterum conuulsiuos motus inducerent, extracti opii aquosi granum dimidium in pilula deglutiebam, cum laudani liquidi saporem vltima assumtionis vice ingratum aliquantisper percepissem. Non frustrabar penitus voto, debitum quippe suum exsoluere per aliquod tempus non obliuiscebatur anodynum, vt fere solet, haesiturumque perpetuo memoriae officium mihi praestiturum erat, si diutius paulisper

mala permanentia.

opium.

lisper perdurare fecisset impetratum a truculentissimo hoste armistitium, quem dolore et febre, quasi ferro acuto et igne diras et iteratas semper vitae machinantem insidias, eludentemque omnia armorum oppositorum genera, nil nisi meam caedem, et internecionem, intentare credere debebam. Suadebat qui a mea parte constanter stare decreuerat, Cl. *Schneider* vt enormibus spasmodicis et conuulsiuis fibrarum intestinalium distractionibus extus applicatum opponerem emplastrum theriacale; non probabatur mihi, fateor, amicissimum licet consilium, ab omnibus acribus et calidis abhorrenti, ille autem instare et prouocare ad *Hoffmanni* mei aliorumque magnorum Practicorum auctoritatem et experientiam pulchre gnarus efficiebat, vt reluctari perpetuo nolens, apponi tandem abdomini permitterem remedium topicum e longinquo tantum in affecta loca acturum, quodque pro lubitu meo siue venia impetrata siue clandestino ausu iterum remouere poteram. ***emplastrum theriacale.***

§. 32.

Emortuus fere erat dies iamque vesperascebat, ecce praeter expectationem denuo ad me properans misertus implacabilium quauis arte malorum, ante lectulum stabat humanissimus *Thebesius* atque ***Vsus rhabarbari.***

que de causis pertinaciae morbi, deque via qua porro ipsi obuiam eundum sit prolixo sermone mecum verba facit. Nondum exhaustum esse acrem morbi fomitem, creberrimis etiam quas iam passus eram vomitionibus et deiectionibus aiebat, cruciatusque superstites idoneos allegabat huius veritatis testes, hinc summe necessarium esse asserebat, adhuc dosin congruam rhei optimi caperem; sique annuerem ego, omnia in vado fore; moxque finita operatione conquietura tormina et inde pendentia odiosa consectaria pollicebatur. Ego quae opponerem Doctissimo Viro habebam sequentia: primo quidem rheum mihi, vt decet magni aestimatum, larga satis copia, bis iusto tempore, sub initium morbi nondum cogniti, sed adhuc pro simplici diarrhoea habiti, iam a me adhibitum fuisse, ipsi reuocabam in memoriam. Instabam per sententias clarissimorum Practicorum maxime *Sydenhami*, ne quidem in ipso agnitae cholerae initio laudari vel lenissima laxantia, sed dissuaderi prorsus, qui igitur adulto morbo conferrent? Deinde diluentium, emollientium, obtundentium, abstergentium, incredibilem vim me ingurgitasse hactenus, atque infandam sordium copiam superne et inferne me reiecisse vrgebam, sique forsan quod negare nolebam,

bam, in plicarum latibulis adhuc ſtabu-
arentur bilis acerrimae reliquiae, aut in-
exhauſtae nouum prouentum eructaret in
duodenum ductus choledochus, non
hanc ſua irritatione ſola praeſentes exci-
tare dolores meos, ſed inteſtina ipſa
etiamſi abeſſet omnis irritans acrimonia,
iam per eam ambuſta, inflammata, arro-
ſa, et exeſa, ſuapte moleſtiſſimis ſenſa-
tionibus nunc anſam praebere vrgebam.
Licet ergo rhabarbarum inter leniſſima
purgantia numeretur merito, tamen id
acturum in inteſtina non aliter niſi ſuo
ſpecifico vtut blandiore ſtimulo, quem
illa iam non ſana, ſed multis modis lae-
ſa, non expertura ſint lenem, et inno-
centem, ſed tanquam aſperum et draſti-
cum, aſſeuerabam. Hac igitur ratione,
maiori irritatione hoc ſtimulo illata, do-
lores maiora adhuc incrementa captu-
ros, affluxum humorum in laxata et for-
tius irritata inteſtina copioſiorem euaſu-
rum, atque ex profuſione eorum vltra
modum ingraueſcente attritas adeo vires
prorſus emungendas fore contendebam.
Ita quidem contranitebar pro meo ſen-
ſu, ac pro illa quam mente tenebam
morbi idea, quam nunc de eius indole
obtinere neceſſario debere ducebam,
vſui rhabarbari. Aſſentiebantur vero
docte et fuſe mihi obloquenti Cl. *The-
beſio* bini amici *Schneiderus* et *Herbſtius*,
atque

atque non bene interpretata haec Medicorum triga meam aegrotantis et salutare consilium detrectantis inobedientiam, adscito in consortium qui me sua facundia corrigeret amantissimo Hospite, iteratis precibus et persuasionibus a me impetrare annitebatur, vt decreto plurium flexam mei vnius voluntatem subiicerem. Quid facerem solus, causamque meam agere ingresso Patrono destitutus? lite expensa iterum iterumque, rectiorem sine philautia habebam equidem meam sententiam, at scioli sibique soli sapere visi hominis notam semper auersatus, et a me longissime auertere conatus, certumque damnum ab hoc remedio non praeuidens, ac cum tamen moriendum esset, bene mihi cupientibus monitoribus asper haberi nolens, consentiebam tandem, vt porrigeretur pulvis rhei, quem sine adiecto sale plaudentibus iis et congratulantibus ad drachmam dimidiam futurorum incertus deglutiebam. Neque etiam omittebam pedetentim superbibere, vel poculum de pulli iusculo vel infusum potum (Thée) vt operationem desideratam et accelerarem, et facilorem redderem; sed nihilum bonae frugis mihi elargiri videbatur rheum, quin potius quasi crabronibus nouiter irritatis, quasi morbo ad supremum conflictum euocato, strictur

operatio summe dolorosa.

morsi

morſibus, punčturis, exaeſtuationibus acerbiſſimis ita afficiebar, ac ſi dilaceratio, exeſio, exuſtio, in ſua continuitate ſupereſſe porro neſciis inteſtinis inſtaret. Magna primo mihi naſcebatur ſuſpicio, irritationem et aeſtum maiorem theriacae quomodocunque etiam laudatae, equidem propter opium immiſtum anodynae, tamen per ſenſus teſtimonium certiſſimae calidae et acri, adhaerenti adhuc abdomini meo magis deberi, quam rhabarbaro nondum diu aſſumto. Remouebam igitur theriacam, vel hoc nomine, quod vis eius ſopiens aliumque retardans non bene congrueret effectibus expectandis a rhabarbaro; ſed propterea ingeſtis licet aſſiduo potulentis obtundere et diluere aptis, calamitoſus rerum mearum ſtatus haud immutabatur, quin ſedibus ſingulis motis a remedio ad amuſſim ſuccedebat ſummo dolore viſcera abdominalia conquaſſans vomitus. Aequus et bonus in illos qui amiciſſimis manibus remedium porrexerant, quod forte mineram aliquam morbi ſuperſtitem eo euerrendo laudabilem effectum edebat, tamen dolorificam valde operationem mihi ipſi diffiteri nequibam. Eousque vero et acre morbidum et ſtimulus medicinalis inter indicibilia tormenta miſere laceratis inteſtinis illata, vires cum profuſis ſedibus et vomitibus

euacuabant, vt ſyncopticis debilitatibu ingruentibus, vix nutans caput ſuſtine rem, atque per totam noctem interne cinos languores iniuncta impigerrim abluitione cum vino rhenano generoſo frictioneque perpetua impugnare debe rem, a qua quam mirifica mihi obort fuerit refectio, vix credet aliquis, ni propria experientia in ſimilibus caſibu eam edoctus.

§. 33.

Dies morbi quinta.

In hunc miſeriarum abyſſum detru ſum ſummo dein mane me offendeba vxor mea, quae de periculoſiſſimo mo bo inſtar fulminis mihi immiſſo fer praeter voluntatem meam certior fact erat, ac celerrimo itinere Petersdorffiur volans, ad lectum meum delata, immc ta ſtabat, atque in lapidem quaſi obr geſcebat, cum binis ſimul adductis filia bus, inſtar filiorum immaturis funeribu ereptorum, tenerrimo affectu bina m cordis antra ipſis deuouente, mihi dil ctiſſimis. Tuleram integra nocte inte ſiſſimos cruciatus meos, atque repetit deiectiones et vomitiones ſine anodyn in auxilium vocato, eapropter quo ſumti rhabarbari actionem ſuo ſcopo r linquendam interturbare nollem. Nam que nunquam bene mihi placuit anody norum et aluum cientium, licet aliqu

bi

bus Practicis vſitata, putatitiae correctioni opii ortum ſuum maxime debens, mihi vero inter ſe pugnare viſa commiſtio; cum mea ſententia, vnum ex his alteri melius praemittatur, vel ſubiungatur. Iam vero doloribus et egeſtionibus vrgentiſſimis opponere dimidium extracti opii aquoſi granum valde conſultum ducebam, circumſpiciens quippe omnem materiae medicinalis apparatum nil videbam tantis malis par futurum, maiorem vero doſin debilitas inexplicabilis vetare videbatur. Tranſierant poſt aſſumtionem pauca temporis minuta, cum miras illas vires opii, quas ad ipſam mentem extendere videtur, hactenus nondum in me animaduerſas, experirer. Nutabat multo magis ac antea, atque grauius reddebatur caput, ita vt abſolute puluinari incumbere cogeretur, atque et ſic locatum ſuo pondere ſemper in profundum lapſurum mihi videbatur; ſequebatur quaedam ſomnolentia palpebrarum conniuentiam inducens, ſed concuſſu corporis et pauoribus interrupta, clauſis vero tandem aut potius ſemi apertis oculis neque dormienti neque vigilanti ſubito obuerſabantur teterrima et abominabilia prorſus laruarum, ſpectrorum, chimaerarum, et phantaſmatum monſtra. Mox ſcilicet feris beſtiis obiiciendus tremebam; mox draco-

opium.

miri eius effectus.

nes tricipites immani rictu flammas et fumos in me effundentes timidius fugiebam; mox ſceletorum turba vndique ſeptus praecipitandus ab iis in barathrum oſſibus variis coſtis, craniis, maxillis refertum, mihi videbar. Inter terribiles eiusmodi ſummaque celeritate ſeſe excipientes illuſiones, obdormiſcebam equidem, ſed ſcena mutata turbabar multoties, tandem vero ab illis terriculamentis anxius et laſſatus expergiſcebar ſubito, neſciebamque vertiginoſus et veluti ebrius vbinam locorum viuus an mortuus degerem. Tandem redditus mihi aliquantiſper, corpusque totum frigido ſudore perfuſum ſentiens, pulſum vix micantem et repentem ſaltem ac quaſi nullum percipiens, atque emortuali plane languore deiectus, inſtare mihi mortis articulum ominabar. Itaque meis circumfuſis vltimum vale dicebam ſyncopticus, at illi frictionibus, aceto naribus admoto, et abluitione iugi dixerim fere balneo vini rhenani me ſemimortuum iterum reuocabant in vitam, enarratione viſorum mihi ſimulacrorum quaſi carmine magico in conclaue meum euocatorum, omnes in ſtuporem abrepti. Ego vero tandem iterum ab omnibus deliramentis illis liber, et ſaniſſima ſenſatione gaudens, reminiſcebar relationum ſimilium, quas ab aegris meis non ſemel audi-

audiueram, ac incantationes has a Scriptoribus medicis paſſim notatas, nullique Practicorum non animaduerſas, ſoli opio deberi intelligebam. Tum vero ſimul experiebar in me ipſo, quam arduum ſit in Praxi negotium, quantamque circumſpectionem et cautionem requirat, vrgente neceſſitate indicatiſſimum Opium exhibere debiliſſimo homini, quod toties ſuis inculcauit fidiſſimus Praeceptor *Hoffmannus*. Ego qui ſine hoc remedio prudenter hactenus niſi omnia me fallunt exhibito, iam morti traditus fuiſſem, ſaltem terminum exhibitionis mihi iis omnibus, quae ab vltimis praebiis mihi acciderant indicari firmiter credebam, neque quem ſine horrore in mentem reuocare nequibam foecundiſſimarum imaginum triſtem et dirum apparatum denuo mihi voluiſſem repraeſentatum, ſi aliter etiam continuatum porro vſum Opii tutum ſatis habuiſſem.

§. 34.

Iuſculum panis. Adferebant vt extremorum frigori conſulerent, atque ſimul virium pauperiem vtcunque iuuarent amici calidum iuſculum panis cum vitello oui, quod cum omni fere ſale meo [illegible] orbum eſſet, bene ferebam, et tanquam medicamentoſum renuente gula deglutiebam.

 Re-

Reducebat illud calorem naturalem in omnem corticem corporis, ita vt pedetentim melius haberem, refocillatus multum doloribus interim iugiter afflictus. Dum interim plane nullam spem vitae seruandae relictam autumans hanc breui positurus mihi videbar, forte exploro pulsum, ictibusque ne fallerer octuaginta et pluribus numeratis, illos a frequentia sua non mediocriter recessisse nil tale expectans animaduerto. Opinabar febrem syncoptica debilitate vel alia causa paulisper suspensam, breui sese iterum per sua signa ostensuram, sed hora vna et altera elapsa, eundem rithmum seruabat pulsus, atque manifeste febris remissionem indicabat. Diluentibus igitur et lenientibus pergendum ratus, tenuissimum iusculum pulli Sydenhamianum iterum vocabam in subsidium, vomituque vno et altero succedente, ac deiectionibus haud emanentibus tanto constantius illud ingerere pergebam. Talia vero tepide haurienda omni condimento destituta et insulsa iuscula, cum parum oblectamenti omnino acidissimae linguae adferrent, interdum haustulum innocentissimi fontis selterani interpolare non dubitabam, quo licet illum inter analeptica et cordialia relatum haud facile recorder, tamen mirifice me recreatum sentiebam. [illegible] diluendi et humectan-

pulsus remissior.

humectandi labore poſtquam perfunctus eſſem ſtrenue antemeridiano et pomeridiano tempore, hora quarta audita acerbiſſima ſaeuitia iterum accendebantur dolorum in meis inteſtinis faces, vt vix a lachrymis mihi temperarem, iungebantur ſingultuoſi conatus vomendi, poſt redditum iuſculi pauxillum immuni labore nil excutientes, donec aſſiduis nixibus ex profundis ſurgens hiantem pylorum vacuumque ventriculum ingreſſa eiiceretur bilis tenaciſſimae amariſſimae, putridiſſimae acerrimaeue portio, oeſophagum et linguam ſub ipſo tranſitu incendens, quae adhaereſcens antea firmiter duodeni cauo, diluentium copia ſine dubio ad ſeceſſum et exitum diſpoſita fuerat. Succumbentibus omnimode inter triſtia illa exercitia viribus, abluitione vini rhenani pauliſper erectis, cruciatuumque exacerbatione, quae a concuſſu corporis immani proritata fuerat poſt quietem aliquam deſinente, leuatum aliquantiſper bilioſa illa excretione me deprehendens non poteram non in eam ire ſententiam, de ipſa morbi materie reſtitans aliquid fuiſſe excluſum, tacitusque medicorum amicorum conſilium de aſſumendo rhabarbaro, cui aliquamdiu reluctatus eram, non prorſus forte irritum fuiſſe agnoſcebam. Tali vero peſſimae indolis bilioſae ſaburrae *vomitus bilioſus.*

quam ſenſibus vſurpabam, ſi nondum prouentui finis eſſet, aptum remedium quaerens, quod illius viſciditatem dilueret, et ſolueret, quodque ſummam eius alcaleſcentiam corrigeret, conuenientiſſimum reperiiſſe mihi perſuadebam, ſi tribus vel quatuor partibus aquae Selteranae aut ſimplicis adderem vnam vini rhenani optimi, atque adiicerem ſachari pauxillum. Id potulenti medicamentoſi genus ſimul languidis ventriculi neruis acceptiſſimum fore, nauſeamque horribilem cum ructibus putidiſſimis et cadauroſi quid explodentibus inde mitigatum iri praeuidebam. Reſpondere meas in medendo intentiones exactiſſime praeceptis Boerhaauianis et Swieterianis, toties in nauſea vomitu et diarrhoea bilioſis acida lenia laudantibus, non poterat mihi obſcurum eſſe, ſique eo tempore menti praeſentia adfuiſſent eximia illa encomia, quae in curanda cholera in exercitationibus practicis *Deckerus* et in curanda dyſenteria bilioſa morbo cholerae affini, vino rhenano putredini reſiſtenti, vires amiſſas reſtituenti, tonum ventriculi corroboranti, Cl. *Degnerus* defert, audacter certe id et Cholerae meae bilioſiſſimae vel ſolum ad cochlearia, neque tanta copia aquae dilutum, oppoſuiſſem. At vero multo ſuaſore indigebam, ſed mihi

Selterana cum vino rhenano.

mihi ipſi rationibus meis ſufficiens delicatae illius miſturae quam mihi deſtinaveram illico paratae vaſculum ebibebam, cumque mirifice ad palatum meum eſſet, alterum et tertium educebam, quanquam effectum antea expectare, et dein deſideratiſſimum potum liberalius bibere debuiſſem. Sed o me miſerum! excidiſſe me ſpe magnificentiſſima, deceptum me prorſus fuiſſe ſplendidiſſima theoria, infelix edocebat Praxis: neque me latere poterat infortunii ratio, namque ab epoto vltimo vaſculo liquoris adeo benefici habiti, confeſtim quaſi oleum camino addidiſſem feruebant inteſtina, et in aeſtuarium quaſi abiens vniuerſum abdomen reddebatur turgidius, atque miſerabilibus ſtricturis et ſpaſmis intus diſtrahebatur, pulſu quoque ſtatim celerius vibrante. Vetus et generoſum erat fateor rhenanum vinum, quod adhibueram, ſed mite ſatis erat redditum, acidum nempe eius blandum ſacharo aeque temperatum fuerat, et caſtratum pene, ac ſpirituoſum principium admiſta aqua; neque credo Medicorum doctiſſimus ex praeſentibus futura callidiſſime coniicere gnarus, ſiniſtrum adeo euentum fuiſſet hariolatus. Doloribus acutiſſimis denuo ad incitas redactus, opiumque porro aſſumere non auſus aqua Selterana, infuſo Thée, iuſculo pulli affatim ingurgitatis,

noxae ab eo.

diluentibus oppugnatæ.

 nam-

namque hac inuicem non pugnare mihi videbantur, abſorbentibus admiſtis reſtinguere moliebar ſubitaneum incendium, atque ex ſolo oliuarum oleo applicari curabam clyſma, hisque omnibus iugiter in auxilium vocatis impetrabam, vt tormenta mea malitiae ſummum apicem attigiſſe viſa, ad illum gradum iterum deſcenderent, quem ante vinoſum potum toleraueram.

§. 35.

Omnia cogitabam et mente voluebam, reuoluebamque attentiſſimus, quae aetiologiam phoenomenis animaduerſis elargirentur. Remiſerat febris; exſpirarat terminus, quo in gangraenam abire ſolet matura inflammatio; ſuperuixeram diebus diu, quibus necare ſolet cholera atrocitate meae ſimilis; nihilominus eadem carnificina in viſcera mea ſaeuiebat crudelis aegritudo, ac ſi vix furere ingreſſa ad ſui incrementum properaret. *Inteſtina ambuſta exeſa.* Inducebar ergo credere, quae nondum combuſta, nec mitigata febre comburenda erant inteſtina mea, ignea materie quam in ſinu ſuo continuerant ſaltem eſſe ambuſta, abraſoque naturali tegmine nudata excoriata, exeſa et hinc inde forte exulcerata, igitur exquiſitiſſima et inconceptibili plane ſenſibilitate, et irritabilitate laborare, adeo vt ne tantillum aëris ferrent,

ferrent, ſine dolorum exacerbatione, imo vero vt ab eo quod impoſitum linguae vix acre habetur, ſaltem ſi non ſua indole blandum eſſet, veluti a vere acri laederentur, quemadmodum oculus defluxione crebra lachrymarum, vel mordaci catarrho ſemel rubeſcens, et arroſus. Conuincebar talem omnino eſſe faciem internae tenuium inteſtinorum meorum ſuperficiei, licet mentis oculis ſaltem ipſam vſurparem, cum aliquibus horis elapſis liquoris anodyni Hoffmanniani non factitii ſed veri, quem hactenus obtinere haud potueram nunc vero ab amico *Schneidero* impetrati et ex commendatione Auctoris ab eo collaudati guttulas 36. pro horribili ſtrictura minuenda in largiore aquoſo vehiculo aſſumſiſſem; namque loco ſperati leuaminis, maiorem aeſtum, maioresque morſicationes et roſiones inde reportabam, non niſi diuturno diluentium ope paululum mitigandas. Has vero inteſtinorum conditiones, ni occurratur cito, lentis febribus anſam haud raro praebere, atque ad tabem diſponere, ſatis mihi erat perſpicuum, atque in illam mihi ex ſucco et omnibus viribus ex ſoluto, ex acutiſſimo periculo tranſitum ſat facilem fore, nimis omnino debebam conuinci. Rebus igitur ita comparatis, ad omnia paratus, quaerebam pro ambuſtis meis inteſti-

dammum ex liquore anodyno.

metus tabis.

inteſtinis in medicinali materie vnguentum aliquod vel emplaſtrum ad ambuſta, internis vſibus accommodatum, laeſis inteſtinorum locis aliquamdiu haeſiturum, atque vices deperditi muci naturalis blandiſſimi expleturum, ſub quo lanugo neruea villoſae tunicae, tanquam ſub molliſſima veſte defenderetur ab iniuriis, atque quicquid fibrarum depaſtum fuerat, ab allato per arteriolas vaſculoſae tunicae blandiſſimo liquido, apponeretur iterum, et reſarciretur. Debebant abeſſe omnino multa, quae externe eiusmodi in caſibus pulcherrime ſe gerere ſolent, attamen inter varia, cremorem lactis, et ſem. cydon. mucilaginem, ſolutionemque gummi tragacanthae valde idonea meis laeſionibus internis remedia exhibitura fore, facile mihi conſtabat. Vocabantur ſingula protinus in vſum admiſta liquidis tepidis, cum nil niſi tepidum ferrem, dum vero bona quaeuis ab iisdem mihi promittebam, ecce ſuccurrebat mihi aliud, quod palmam omnibus praerepturum eſſe, non ſine praegnantibus rationibus videbatur. Certe ingenioſa valde auxiliorum inuentrix habetur vrgentiſſima neceſſitas, hac enim preſſus vndique, reminiſcebar illico, toties, et breui ante diſceſſum meum ex vrbe patria feruentiſſimo iure ambuſtis manibus et brachiis me eximium leuamen attuliſſe,

demulcentia adhibita.

lisse, sanationemque omnem perfecisse remedio euporisto, oleo lini cum vitello ouorum in vnguentum redacto. Cur vero ab eodem si nauseoso paulisper huic oleo substituerem palato magis gratum amygdalinum, vel et butyrum recens sine sale, emolumentum exoptatum, et mihi intus ambusto non fuissem pollicitus. Sed et ouorum albumen huic scopo egregie poterat inseruire, nolebam igitur id perdi eo caloris gradu in quo detentum aliquantisper fluorem suum amittit, et in irresolubilem massam concrescit. Omne ergo ouum ex artis coquinariae legibus sorbile seruaturus, id bullienti aquae immissum protinus eximi iubebam, sicque totum cum parum aut nihil testae adhaerescens relinqueret, addito recentissimo butyro mihi abibat in balsamum lenissimum internum, apprime dolentibus intestinis demulcendis aptum. Non inuidendum habebitur hoc ferculum ad palatum seculi prandentibus et coenantibus, propriasque facultates saepe cum aere alieno gula absorbentibus Lucullis; neque etiam frugalitati alioquin deditis et simplici victu contentis arridebit facile non salitum hoc epulum, cuius sola commemoratio nauseam mouere poterat aegris delicatulis et teneris patientiam medici fatigantibus et flagitantibus, de quibus integram dissertationem

Oua sorbilia cum butyro insulso.

nem *Stahlius* conſcripſit. Remedium interim non ſane inſulſum, licet haud ſalitum, poſtea ludens mecum fertiliſſimo ſuo ingenio, ſubinde vocitare conſueuerat amiciſſimus mihi, interque noſtros aeſtumatiſſimus pro eximia ſua doctrina Medicus Iohannes Godofredus de Hahn.

§. 36.

Mihi eo tempore inconſultis linguae nerueis papillulis, quae tamen etiam quaſi neceſſitatis legi obedientes non refragabantur, ſine difficultate aſſumebantur quatuor oua talia ſorbilia, liquefactum intemeratum butyrum continentia. Neque me retinebat communis opinio bilis generationi ſuppetias ferre oua contendens, neque indoles eorum vere in alcaleſcentiam prona mihi ſat grauem contra indicationem ſuppeditabat, cum iam magis inteſtina bile acerrima laeſa, quam bilis ipſa quomodocunque peccans reſpicienda eſſet. Interim donec blanditiem naturalem ſeruarent vitelli, eos demulcentiſſimos bilique tenaciter etiam duodeno adhaereſcenti ſoluendae et abſtergendae aptiſſimos habebam, atque ob hanc vim ſuam ſaponaceam in ipſo ictero a Cl. *Schultzio* laudatos reminiſcebar. Quibusnam vero verbis apte deſcribam ſtuporem meum, in quem totus abripiebar, cum quo prodigio et portento

Effectus inſperatus indolentia.

portento mihi ſimile videbatur, immanes hactenus dolores, ac optimis quibuscunque remediis rebelles, quaſi in inſtanti mitigatos, et obmuteſcentes experirer. Magnam certe at non illam energiam reconditam autumabam in domeſtico illo pharmaco, quae tantos tumultus breui aliquot momentorum interuallo, veluti adſpirans lenior aura decumanos et impetuoſos fluctus componeret, vitamque ſcyllae et charybdis gurgite agitatam, naufragam tandem futuram et aeterno ſilentio mergendam, in vadum locaret. Parum aberat quin indolentiam illam ſubitaneam, cuius rationem non ſtatim capiebam, a deſtructa affecta parte per mortiferam gangraenam, ſenſum omnem abolere ſolitam deducerem; ſed mente valens, acute ratiocinans, ſine praecordiorum anxietate libere ſpirans, nullo ſingultu affectus, nullo frigido ſudore perfuſus, ſed extrema calida ſentiens, a lipothymiis nunc liber, non extreme debilitatus, ſed poſt pabulum meum blandiſſimum potius refectus, pulſum non debilem, vacillantem, inaequalem, intermittentem tangens, ſed ſatis ſibi conſtantem oſtendens, ſtatim abiiciebam illam opinionem, atque ſalua adhuc ab irreparabili tali corruptione inteſtina mea perſtitiſſe edocebar. Neque diu perfruebar illa pace, quae ſuſpecta videri

ſuſpicio gangraenae vana.

ri

ri poterat meticuloſo et obiter attendenti; exhauſeram bina vaſcula infuſi Thée, breuique poſt ſuetis conatibus vomendi ingruentibus miſere concuſſum integrum abdomen, nimis cito reuocabat priſtinam dolorum tragoediam, efficiebatque eheu, vt acute ſatis iterum ſentirem. Prorſus autem calore, acrimonia, ſapore amaro, et putido eandem biliosam ſaburram laborioſiſſimis nixibus ex imis aſſurgentem ore reddebam, ac ſub initium morbi euomueram. Tantum quoque abeſt vt eliſa hac materie minuerentur diriſſima pathemata, vt potius antiqua peruicacia ſummas moleſtias mihi faceſſerent, ac ne momentaneum quidem per totam noctem ſomnum indulgerent, ita vt inops capiendi conſilii quo me verterem miſer fere neſcirem. Interim non ſine omni leuamine modo infuſum Thée modo pulli iuſculum aſſumeram, oleum quoque amygdalarum dulcium calidum cum pauxillo olei nucis moſchatae expreſſi remixtum abdomini liberaliter inunctum, deſuper poſitis linteis calefactis, manifeſtum aliquod leuamen praeſtare obſeruabatur.

dolores per vomitum reuocati.

ſed litu olei leuati.

§. 37.

Dies morbi ſexta.

Cum vero vltimus quem paſſus eram vomitus vere bilioſus, ardorque morſicans ſub pylori regione conſtanter affligens

gens, anxietatisque circa praecordia ſenſus ancipitem me tenerent, an a ſola labe quam duodeno et reliquis inteſtinis tenuibus affricauerat bilioſa acrimonia, perdurantes moleſtiae penderent, cauſa vellicante per ſuperius et inferius guttur iam eiecta, an de ipſa hac cauſa irritante, quod probabile reddebatur forte adhuc aliquid plicis pertinacius agglutinatum reſtaret, atque praeterea inextinguibili fere ſiti vexarer, ſtatuebam diluens humectans et abſtergens temperatiſſimum remedium ſeligere demulcente ſimul virtute inſtructum. Arridebat ergo his dotibus pollens fons Selteranus cum lacte calido remixtus, ſicque et cauſae ipſi eluendae, et laeſioni ab ea illatae, et linguae exſiccatae ſuccorumque pauperiei ſimul me proſpecturum opinabar. Vt totum hoc quod perficere intendebam negotium felicius ſuccederet, ſecedebam in balneum, atque in eo ſedens ac bono cum Deo potans celebres has acidulas cum affuſa, aequa fere lactis bullientis parte calefactas, dimidium lagenae horae ſpatio abſoluebam. Non ſatis laudare poſſum praeſtantiſſimum effectum, quem ſub hac occupatione in me redundare ſentiebam, dolens multum quod citius de hoc ſalubri connubio non cogitaſſem, quod nemo ex amicis ſuaſor mihi tanti remedii exſtitiſſet, quod

Selteranae cum lacte.

balneum.

omnes ſine dubio cogitationes noſtras ab eo auerti paſſi fuiſſemus obſeruatione lacteorum potulentorum a me iam ſecunda morbi die multa cum nauſea et faſtidio reiectorum. Sat cito interim proſperum effectum ingruere ratus, ſi ſat bene eueniret. Doloribus balneo lacteo interno et externo vere multum mitigatis, attentiſſimus eram ad omnia phoenomena modum leuaminis ediſcere cupidus. Videbantur vero illae vndae ſoteriae, ſimulac ingreſſae erant ventriculum et appenſum duodenum fouere tenſas et exeſas fibras, atque ita ipſis a diuturnis conſtrictionibus feſſis quaſi redditis blandam quietem impertiri, ſtimulique ſenſum obtundere. Deinde a parietibus inteſtini quicquam adhaereſcentis quaſi leniter deglubitum ſecedere, ideamque prorſus nouam alicuius leuitatis in loco affecto mihi naſci percipiebam. Poſtea cum egreſſus balneum ad aluum exonerandam ſollicitarer, a ſuperioribus deorſum liquefacta quaſi acris et ignea materies ferri videbatur, craſſis etiam inteſtinis hactenus praeter flatus tumultuantes tolerabiles moleſtias paſſis, dum tranſitum moliretur, ardorem inferens. Concludere ergo ex his omnibus debebam, loco motum fuiſſe aliquid quod fixum hactenus in ſua ſede fuerat, maxime cum excreta aluo hucusque liquidi-

Bonus effectus.

quidiora fere craſſiuſcula excernenti ſentirentur taliaque cernerentur intuentibus. Magna itaque fiducia pergebam bibere Selteranas cum lacte; at dum in lectulo nunc id faciebam, non aeque placide videbantur illa agere in inteſtina ac antea cum in balneo ſederem, licet ſatis calidas aſſumerem, denuo quippe ingraveſcebant dolores, quos illae ſi non pruritabant, vt facile conſtabat, ſaltem ſolae non ita cicurare poterant ac balnei virtute adiutae. Volebam periculum facere an ſerum lactis dulce adhuc mitius Selteranis vtpote lixiuioſum ſuum ſal blandum licet atque inſuper etiam oleoſo lacte inuolutum, tamen guſtui prodentibus, inteſtinis ſenſibiliſſimis magis amicum foret; ſed neſcio, quo fato in regione Sileſiae noſtrae, quam Academiam artium premendi caſeos, et lactis terram ſeiungendi ab aqua, oleique eius partem et huic et illi aſſignandi, ſerumque adeo ſinceriſſimum praeparandi iure dixeris, id limpidum ſatis, et dulce eo tempore quo ipſo indigebam, nequibam impetrare. Pergendum igitur cum Selteranis lacteis erat, quibus ſubiunctum interdum pulli iuſculum vna cum vnguento ex oleo amygd. et pauxillo olei nuc. moſch. expreſſi diligenter foris illito efficiebat, vt tolerabiles magis redderentur

ſerum lactis.

rentur importuni in inteſtinis morſus et roſiones.

§. 38.

Dies morbi ſeptima. At vero nondum aderat rudium afflictionum mearum finis; vt enim congeriei malorum quibus implicabar nullum deeſſet, ſumme dolorificae tenſiones quam tam diu ſuſtinere debuerat alimentorum canalis, tandem eundem reddiderant laxiſſimum, atque eousque deſtruxerant fibrarum omnium tonum et elaterem, vt vomitionum frequentia *diarrhoea copioſiſſima* equidem imminuta, tanto impetuoſius nunc vrgerent liquidiſſimae deiectiones. Excretorum ergo copia quantitatem ingeſtorum valde mediocrem per quinque dies adeo enormiter ſuperante, atque retentrice facultate vt ad ſtylum veterum loquar, iam prorſus abolita, et fere in paralyſin vergente, ſi gangraena non *metus mortis ab inanitione.* extinguerer, ſi conuulſiones a doloribus excluſae mortem non accerſerent, ſi ambuſta, excoriata, et exeſa loca ſanabilia forent, atque imminens eapropter ceruici tabis periculum auerruncandum eſſet, tamen omnibus liquidis quae vitam ſuſtentarent exhauſtis, penuria eorum mihi pereundum fore, atque qui a dolorum et ardorum ferocia oborientes auerti potuerant conuulſiui motus, ab inanitione metuendos eſſe aut breui funeſtam

neftam fyncopen adfuturam, facile poteram praeuidere. Nulla reftabat via per quam a limine illarum forium, per quas ex hac vita iam egrediendum erat, retrocederem, quam iugis et perpetuus vfus replentium, excretionumque per aluum citiffima cohibitio: aberat namque a faecibus nunc priftina graueolentia, atque eapropter impune licebat lientericam fere diarrhoeam refraenare, fi faltem obedire illa non detrectaret. Intelligebam tenuia liquida parum et lente nutrire, neque morari in debilibus inteftinis, quin tepida fua humiditate ea magis relaxare, opusque potius effe ad obtinendum hunc fcopum incraffantibus, et glutinantibus, faecesque magis confiftentes relinquentibus; talia autem fimul optimum elargiri operculum leniens plagis inteftinorum excoriatione et exefione male affectis. Egregie iam fefe mihi commendarant oua forbilia, cumque illa mirantibus adftantibus lubenter et cum appetitu caperem, expertusque effem cum ftupore virtutem eorundem anodynam, atque praeclarius nutriens ignorarem, non amplius anxie circumfpiciendum erat, fed potius fimplici hoc ferculo et vitali et therapeuticae indicationi omnino profpectum effe confidebam. Diffifus tamen mihi paulifper an conftanter et diu fatis ad palatum illud

incraffantia, nutrientia indicata.

oua forbilia.

esset permansurum, cogitabam mature de analogo alimento medicamentoso, *gelatina.* gelatinamque amygdalinam gustui gratissimam in conuiuiis apponi solitam, Hirschbergae praeparari curabam, ouis interim solis contentus futurus. His dum frequenter satis, sed modice tamen vt ventriculo languido parcerem, vtebar, paradoxum plane intricata et versipellis aegritudo exhibebat phoenomenon cuius aetiologiam statim assequi quicquid agerem nequibam. Scilicet eadem hactenus sibique semper simili ratione, quoties vomitionibus operosissimis fatigatus fueram, bilem eieceram tenacem, amarissimam, et putidum alcali sapientem; *vomitus acido-corrosiuus.* iam dum ingrauescente vespera inter inexplicabiles angores vomituriebam, immani labore ex imis excutio bina circiter cochlearia liquoris tenuis acidissimi, rodentissimum nitri spiritum referentis, neque saltem linguae, sed ipsis dentibus per inductum stuporem infesti. Candidus confiteor nouam hanc scenam nouis terroribus et sollicitudinibus totum me perculisse, diuque futurorum formidine tenuisse sollicitum, adeo, vt quid iudicandum, quid faciendum, quid omittendum sit, obtusa quasi per tristissimas meditationes mentis acie fere ignorarem. Erecto paulisper et obfirmato in omnes qualescunque euentus animo, ab omni-

omnibus acescere aptis mihi abstinendum esse, corrosiuo adeo acido in visceribus meis hospitante perspiciebam, igitur lac prorsus seponebam, neque audebam degustare pauxillum de apportata gelatina amygdalina: quam asseruatam aestiuis caloribus cito acescere dolent matres familias. Gratulabar mihi interea paradoxum et heteroclitum malum non interdixisse polychrestis meis ouis sorbilibus, quin ea mulcendis doloribus porro idonea futura, ac acidum rodens inuolutura esse, quodsi etiam in suam spontaneam corruptionem alcalescentem ruerent, inter tot aduersitatum vicissitudines gaudebam. Hac spe fretus noctem insomnem quidem, sed sine curis transigebam, alternis fere horis ouum butyraceum exhauriens, viresque ita inter deiectiones paulo minus vrgentes vtcunque conseruans, ac rosiones dolorificas multum mitigatas experiens.

§. 39.

Aliquot exorto sole iam horulas fatorum meorum asperitatem meditans absumseram, atque pro potu quem sitibundus valde anhelabam prohibito lacteo, iusculum pulli iterum selegeram, licet tepidum et nullo conditum sale parum oblectamenti palato adferret, cum stare ante fores me visitaturum nuncia- *Dies morbi octaua.* *iusculum pulli.*

 rent,

rent, Virum Clariſſimum D. *Samuelem Friebe* medicum eruditum, atque apud Schmiedebergenſes Practicum feliciſſimum. Intrat ille conclaue, atque amiciſſimum affectum teſtatus, audit lectulo aſſidens me enarrantem ſeriem exantlatorum laborum, multumque et diu mecum de bile vitellina, praſina, aeruginoſa atraque confabulatur. Suadebat comiter, vt capti propoſiti tenax ab omnibus in acidam corruptionem pronis iam mihi temperarem, iuſculisque carnium et ouis quae ipſi valde placebant contentus viuerem. Annuebat pariter mihi qui
gelatina. loco gelatinae amygdalinae, aliam ab acida corruptione liberam futuram, ex pede vituli, carne bouis, gallinae, C. C. ebore et ſucco cancrorum fluuiatilium parandam ocyus in vſum trahere decreveram. Calculo egregii viri obtento, rigidae huic diaetae totum me dabam, atque per integrum diem non mediocri diligentia alterna haec fercula amans et appetens, eadem ingerebam; neque poenitebat operae, nam ſalubri litu illa multum prodeſſe aegris inteſtinis ſenſatione mitiori aerumnarum edocebar. Collaudabam mecum tanto impenſius eorundem vires medicinales, cum appropinquante veſpera ſub ipſo aluino receſſu iterum ingruens vomitus equidem denuo liquamen acidum, ſed lenius rodens,

rodens, minorique quantitate, ac magis ammoniacale quam acidum excuteret. Tum vero cum denuo longe lateque cogitationibus meis diuagarer, vt miram illam metamorphosin vomitus putridi in acidum et ammoniacalem intelligerem, aetiologiamque iustam assequerer, opportune in mentem veniebat Aphorismus Illustr. *Boerhaauii* de morbis ex alcalino spontaneo agentis: *Vnde patet vbi, et cur acidus ructus nidorosum sequens bonus; cur et quibus conualescentibus salis ammoniaci sapor molestus* etc. Nempe quando a colluuie putrilaginosa circa primas vias stabulante, ructus et vomitus nidorosi eueniunt, tum acidum ructu aut vomitu postea se prodens, de superata putredine, saporque ammoniacalis de saturata alcalescentia, eiusque in sal salsum conuersione testatur. Non a vero me aberraturum mihi videbar, si omnia haec ad meam aegritudinem applicarem, atque solamen quoddam et mihi inde promitti crederem. Mirum quantum autem nocte, iam aduentante me recreabat de quo per somnium non cogitassem aduentus inopinatus amicissimi mihi Viri D. *Caroli Guilielmi Pauli*, qui festinantibus equis relictis aegris suis aduectus pro illo quo me a teneris complectitur amore, Vratislauia ad me properarat, atque Fautorum et Amicorum

vomitus acidus mitior.

eius aetiologia.

 meo-

meorum votis pro mea valetudine diues, multam ſalutem mihi ipſorum verbis nunciabat. Non habebat explorato pulſu qui tardior omnino priſtino, attamen adhuc nondum naturalis erat expenſaque praeſenti morbi conditione quod hactenus a me factis et vlterius faciendis adderet, quare abituriens bene mihi precatus, laetatusque quod inter viuos me reperiiſſet, ac hortatus tandem vt eadem via pergerem, velociſſimo itinere apparens et diſparens ſubito ad ſuos Vratislauienſes iterum abibat. Quanquam autem corpori pacem impertiri nequiuiſſet, tamen et conſpectus ipſius et vt retulerat perdurans proſpera mei apud ciues meos memoria animum blandiſſima voluptate perfundebat, vt etiam ſine ſomno tranquillus mortem tranſigerem, longioresque viſas horas ouorum meorum comeſtione fallerem, iuſculum pulli ſimul interdum ſorbillans.

§. 40.

Dies morbi nona Lenimen ſymptomatum.

Sed melius tandem mihi exoriens ſol nitere, diesque naſcens felicior ire videbatur, cum praemium nocturnae operae lenimen manifeſtum nanciſcerer, atque inter muſſitantes licet et nunquam tacitos dolores requiem tamen aliquam per ſentiſcere inciperem. Improba vero vigilique ſemper cura opus erat, namque minax

minax malum inter ſpem et metum medius conſiderare debebam tanquam canem furibundum, cui iuſcula appoſita ad tempus latratum inhibeat, furere protinus incipientem, niſi confeſtim ipſi eadem blandimenta obiiciantur, quibus placetur atque a morſu retinentur. Non inanis ergo ſuberat metus ne viribus adeo exhauſtis, febre nondum in integrum ſopita, corpore vix oſſibus haerente, inteſtinorumque parenchymato eminenter laeſo, me tandem maneret conſumtio lenta, qualem ſaepiuſcule poſt choleram et dyſenteriam medici obſeruauere, illaque tanto citius accederet, quo magis excretiones aluinae nutrimentum captum cito iterum peſſundabant. Vt igitur tonum deperditum inteſtinis redderem, vtque gliſcentem febrilem ignem reſtinguerem, inter remedia alimentoſa hactenus adhibita in vſum trahere conſtituebam decoctum corticis peruuiani tenuius primo, dein ſaturatius ſenſim, quod et conſolidandi quodam fine bene vſurpari poſſe arbitrabar. Magna copia alio tempore praeſtantiſſimum hoc remedium, pulchre gnarus polychreſtarum eiusque virium longe vltra antipyreticas extenſarum, ſyſtemati meo nervoſo debili et ſenſibili corroborando adhibueram in ſubſtantia, miratus delicatulum illorum palatum, qui vrgente neceſſitate

cortex peruuianus.

ceſſitate id capere detrectant, aut ſaltem non ſine magno taedio capiunt; iam vero paulo aliter mecum agebatur. Palato alioquin imperare bene doctus, non tamen impetrare poteram, vt amarus et auſterus huius corticis ſapor nil certe grati et analeptici adeo in eiusmodi rerum anguſtiis deſiderati habens, linguae papillulas iniucunde vellicando, ventriculi neruos ſimul haud commoueret, atque nauſeam et inſuperabile faſtidium cieret, vomituritiones perpetuas minitans, quas iam per integram noctem felix non expertus fueram. Mature ergo abſtinere ab huiusque corticis mihi tantopere amati decocto atque ſurrogare extractum iubebar, cuique copiam ex ſelectiſſimo cum vino paratam, mihi faciebat laudatus aliquoties *Herbſtius*. Verum vt languenti linguae, et ventriculo cum inteſtinis ſimul exoptatum magis reficiens adferrem, ſtatuebam panem ſacharatum vino canarino ebrium ſeligere, a quo virium non mediocrem inſtaurationem mihi pollicebar. Memori equidem et alta mente repoſtum habebam quantum damni mihi antea tantillum vini aſſumti attuliſſet, attamen cum terminus verae cholerae diu expiraſſet, ardorisque interni eminens ſenſus a me iam abeſſet, neque continua amplius vrgeret febris, indulgere me aliquantisper

per poſſe appetitui ſine noxa reputabam. At quis facile id crediditiſſet, ex minuto vaſculo vinum panem intingens abſumſeram, pauca momenta praetereunt, ecce vno impetu non ſaltem exacerbatur omnis et ad rabiem intenditur dolor, ſed et qui fere ſiluerat ardor iterum reuocatur, priſtinumque innouatur aerumnarum bonam partem ſuperatarum ſchema. O quam poenitebat me nimis facilem fuiſſe in aeſtimanda vini innocentia, quamque dolebam tantum mihi exſoluendum eſſe breui voluptati pretium. Nullum ſupererat conſilium quam ingurgitare ocyus diluentium et humectantium tepidorum copiam, quae vini ſpirituoſa et acriuſcula elementa eneruaret, irritatasque ab iis nerueas fibrillulas mulceret. Nec mora ingero quam ſtudioſiſſime affatimque et infuſum thee, et pulli iuſculum atque aquoſo hoc apparatu ignem in viſceribus a ſubminiſtrato leui adeo pabulo meo peccato ardentem, inhibeo, ac ſenſim reſtinguo. Ab hoc tempore damno meo cautior redditus, interdicebam mihi vino omni ſub quocunque praetextu pitiſſando, agnoſcebamque proprio meo ſenſu hoc aegritudinis genus cum quo conflictabar, nec in ſuo incremento, nec in declinatione permittere decumbentibus vitis dulciſſimas delicias, quibus carere iuſſi mori quam viuere malunt

noxae a vino.

cibus et potus demulcens.

lunt multi. Seueriſſimis frugalitatis legibus ego iam ſubiectus et enixe obedire paratus, oua mea ſorbilia, gelatinam, et ius pulli ſola retinebam fercula, quae vt menſae ita et ventriculo haud erant oneri. Inteſtinorum potius arundini illata vel ſolo contactu ruinoſis et dolentibus membranis blandiebantur, vitamque quae paucis contecta perſtat, placide prorogabant, quam tamen ſine ſomno altero eius eoque epulis delicatiſſimis ſuperiore pabulo, ducere me oportebat.

§. 41.

Dies decima.

Illuceſcebat noua dies, quam ſortem meam non duriſſimam amplius, ſed iam valde mitigatam patienter ferens, hilari fronte ſaluere iuſſiſſem, ſi ſaltem vomitionibus feliciter ceſſantibus diarrhoeae perſeueranti obicem ponere licuiſſet, quae virium laeuiſſima incrementa ruditer inhibebat. Deglutiueram elapſa die corroborandi et ſiſtendi intentione, quater, grana decem extracti corticis, pergebam nunc eadem doſi ſingulis bihoriis, neque tamen voti reddebar compos. Quin potius niſi vehementer fallerer, breui poſt vnum quoduis praebium ſpasmos, dolores, imo vero calores in inteſtinis auctos percipiebam, murmura perpetua et egerendi conatus cientes, donec ipſa tandem aluina excretio ſuccederet.

diarrhoea perdurans.

cortex perpetuanus fruſtraneus.

deret. Id dum experientia repetita ita ſemper euenire deprehendebam, de phoenomeni rationibus ſollicitus cogitabam, iure ſuo corticem peruuianum referri ad catalogum remediorum ſi veterum ſtylo vti licet calidorum, vt omnia amara eo referuntur. Cumque non immerito praeter principium amarum, et balſamicum in eo ponant Chymiatri, atque in ipſo amaro vere multum reſinae balſamicae latitet, iudicare debebam id tanquam lenius licet irritans, tamen delicatulis fibrillulis moleſtias faceſſere, atque eas ad criſpaturas dolorificas cum terreo adſtringente elemento ſollicitare. Deinde rerum vſu ſapiens noueram bene, in quibusdam ſubiectis peruuianum corticem exſtimulare aluum; adeo quidem, vt tum febrem vel non vel tardius expugnaturo addere ex conſilio *Pitcarnii* et *Sydenhami* opus ſit anodynum; quidni igitur et mihi praeter voluntatem aliis finibus dicatus leuiorem catharſin mouere poſſet, maxime cum inteſtina laxiſſima ac aliquot doſibus ad naturalem tonum haud reducenda ſponte in eandem prona haberentur. Non ſtatim fidebam huic aetiologiae, at aſſumto repetitis vicibus extracto corticis prorſus eundem quem dixi effectum experiens, conuincebar me non ſine ratione ita opinatum fuiſſe, cogebarque tandem inuitus valedicere huic

huic peramato remedio, quod magno meo bono me aſſumturum antea credideram. Poteram adieciſſe ſingulis doſibus pauxillum opii, vt in febribus facere ſolitus fueram Pitcarniano et Sydenhamiano more, ſed placebat potius in vſum vocare Electuarium diaſcord. Fracaſt. ob adſtringentia, et alia quae continet, inter ſpecifica pro conſopiendis aluinis fluxibus remedia communi Practicorum conſenſu habitum. Verum ab aſſumtis binis valde mediocribus doſibus exquiſitum ardorem intus naſci ſentiebam, ſenſim ita increſcentem, ac ſi ex zingibere et pipere longo quod admiſtum habet, merisque acribus et calidis, tota compoſitio conſtaret. Illo diluentibus lenito me conuertebam ad externa corroborantia, ſpiritumque vini valde phlegmaticum, calidum et permiſtum cum aliquot guttulis balſami Vitae Hoffmanniani chartaebibulae beneficio applicare audebam abdomini, cum e longinquo ſaltem eiusque vim pertingere ad inteſtina poſſe, actiuo principio maximam partem in auras diſſipato, exiſtimarem. At vero ac ſi Spirituoſa et aromatica vis omnis venulis bibulis raptim abſorpta, tota quanta in cauum inteſtinorum ſubito penetraſſet; ac ſi ſpiritum Vini rectificatiſſimum iugiter magnis hauſtibus ore ingurgitaſſem, ita immaniter

noxae a diaſcordio Fracaſtorii

et a ſpirituoſo epithemate.

ter ardere, dolere, integrum abdomen incipiebat, Ipſique adeo pulſus arteriarum internarum vivaces et ſenſibiles redditi inſtar follium inflare videbantur tectum et gliſcentem ignem, quem litu olei amygdalini ac aquoſis iuſculis, in quibus gelatinae portio ſoluta erat, iterum ſenſim reſtinguere tenebar. Eo ſopito feliciter, perdurante indicatione quae corroborare iubebat, non tamen auſus adſumere vinum rubrum quod aderat, ob tot ſiniſtra experimenta a ſpirituoſis ſingulis, quaquauerſum circumſpiciens nil inueniebam aptius Marte, quanquam adſtringentia vegetabilia etiam ſuum locum habuiſſent. Terras vero bolares et ſigillatas, pondere ſuo languido ventriculo nimis graues futuras, otioſasque ibidem reſtitantes inteſtinis parum emolumenti allaturas credebam, etſi pinguitudo earum pro vſu militabat. Neque martem in alcohol limatum, aut crocum aliquem ſeligere tutum videbatur, ſed leniſſimum aliquod praeparatum in forma liquida hic merebatur mea ſententia praeferri. Praeſto erat in pharmacopolio domeſtico *Herbſtii* mei Tinctura martis cum ſucco cydoniorum elegantiſſime praeparata, atque illa mihi arridebat valde, ſaltem de vehiculo paulo largiore eligendo cogitare debebam. Afferunt interea de nutriendo exſucco meo cor-

Terrae bolares non tutae viſae.

L pore

Iusculum panis martiale. pore sollicitae mulierculae iusculum de pane tosto coctum, mihi alioquin in deliciis habitum, attamen iam vix ac ne vix quidem salitum; huius portioni quasi per iocum instillari iubeo guttulas quasdam Tincturae, palatoque in consilium vocato, nil aduersi saporis animaduertens, fideliter illam ebibo. Dum facile ferebam nouam hanc mixturam simplicem in Praxi vix ita vsurpatam (licet *Hoffmanno* Praeceptori Cl. *Werlhofio* et aliis familiare fuerit Tincturae alicui martiali superbibendum dare serum lactis vel iusculum carnis) illam capiebam repetitis vicibus loco potus, gelatinam et oua interim haud seponens. His vero praesidiis magno meo bono cum lenimine dolorum desideratum illum fructum obtinebam, vt liquidae sedes sensim in compactiores abirent; atque per noctem numerus earum valde minueretur, de quo quidem effectu mirifice mihi gratulabar, vigiliasque per malum quasi habitum necessarias redditas, incassum perpetuo dormituriens, ad tolerabiles meas aerumnas referebam.

§. 42.

Dies morbi vndecima. Experimenti prospero successu, speque inde affulgente obfirmatus, ac marte nec aduerso, nec ancipite, sed valde propitio oppugnaturus aegritudinem, quae aliis armis pharmaceuticis hactenus sese

ſeſe totam ſubmittere renuerat; victorem tandem me ſupereſſe poſſe iudicabam, qui tot hoſtilibus puncturis ſine chalybe trucidandus fueram. Vix impetrabat a me familiarium amicorum amicarumque confluentium turba, vt bina vaſcula Potus Chocolatae in ſalutem ipſius ebiberem, namque oleum et operam me perdidiſſe autumabam, ſi Tinctura martis illi haud inſtillaretur; quod autem experiri non adeo conſultum ducebam, non omnia omnibus remixta palato placere poſſe arbitratus. Redibam igitur paulo poſt ad iuſculum panis adiecta laudata Tinctura medicinale redditum, conſtansque et nobile beneficium quod in inteſtina mea defluere faciebat, omni laude maius, iterum iterumque perſentiebam. Summa vero animo naſcebatur voluptas, ita quidem vt parum abeſſet, quin fortunatiſſimum ἔυρηκα elata voce clamaſſem, ſimulac ſitiens et perpetuo bibituriens, tepidis vero potulentis non ex deſiderio reficiendus, cogitando incidiſſem in aquam ſpadanam. Eam enim martiali elemento praegnantem, ſi non prorſus frigidam caperem, non ſaltem ſine damno, ſed potius cum fructu, ac ſimul cum magna iucunditate me bibere poſſe, ex his quae didiceram certo certius ſciebam. Verum eheu! diues Hirſchberga, aquis vndique a collibus et montibus defluentibus irrigua,

Potus ſuccolatae.

aquae ſpadanae deſiderium.

ſelteranasque ex ſcaturigine diſſita ad ſe deriuare gnara, nulla tamen gaudebat Spadacrene; neque habebat coeteroquin mihi facilis, vnde ardentia haec mea vota expleret. Iamque ſpadanas quasdam artificiales inſtillatis guttulis martialibus cydoniato ſapore gratiſſimis, in aquam puriſſimam conficere meditabar, cum accedens amiciſſimus *Schneiderus* ad quem fama deſideriorum meorum cito delata fuerat, degere in Thermis foeminam nunciaret, quae Medici ſui ſuaſu aliquot lagenas Spadanarum ſecum apportaſſet, cui vero easdem proficuas futuras ipſe negauiſſet, otioſas itaque in cella aſſeruatas hactenus, mihi venales fore non dubitabat. Gaudebam in ſinu, conuincebarque ad finem fauſtum vergere meas aduerſitates, mitiora fata me manere, arridentemque iterum mihi rerum nexum meliores fortunas promittere. Morari igitur diu neſcius, miſſo ſtatim qui humaniter aquas peteret ſeruulo, eas benigne traditas meas poſſidebam. O quam lautis et opimis dapibus oneratam menſam mihi tum inſtructam reputabam! quam opulenta et ſapida cibaria mihi opinabar appoſita! Gelatinam, Oua, iuſculum panis, et carnis, non vſu ſaltem optima, ſed ipſa cenſura palati acceptiſſima, et omnibus eduliis proferenda, pro lubitu aſſumens. O quam ſublime, quam nectareum,

diaeta, ex ouis, gelatina, lacte.

reum, anhelam ſitim releuans, aridamque linguam humectans ſpadanarum hauſtulus complectabatur analepticum! cum quo vina omnis generis ſi vel tokayenſia fuiſſent, facile non permutaſſem. Fidem ſuperabit legentium, ſi pronunciauero, ita apprime rebus meis conduxiſſe breui compendio hunc medicamentoſum et diaeteticum apparatum, vt ſenſibile emolumentum per horas increſcens inde caperem, viribus auctior, dolores mitigatos experiens, a vomitu et diarrhoea liber. Potiores moleſtias nunc fere flatuum, abdomen inflantium tumultibus adſcribendas habebam, qui haerentes in inteſtinorum atonicorum latibulis, carceribusque per ſtricturas fibrarum incluſi, anxiam et aſthmaticam praecordiorum oppreſſionem ructibus exploſis imminutam ciebant, murmurantes vero et liberius vagantes per inflexum omnem alimentarium tubum, tunicas arroſas et ſufficiente ſmegmate nondum obductas, praetereundo male afficiebant. Miſſum fuerat amica manu pomum aurantium mediocris magnitudinis, cum ipſa pulpa ita conditum, vt grato et ſalubri amarore coctione haud deperdito, non ad cupedias inanes ſaltem, et bellaria menſarum ſecundarum referri mereretur, ſed medicamenti carminatiui et ſtomachici loco eſſe poſſet. Eius dimidiam portionem

cum potu ſpadanarum.

pomum aurantium conditum nociuum.

nem deguſtando pene abſumſeram, cum nil tale ab innocentiſſimo habito hoc oblectamento metuens, incaleſcere intus infimum ventrem calorique ſenſim adaucto, ardorem et morſum ſuccedere ſentirem. Obſtupeſcebam praeter omnem expectationem, eoque tempore quo capitale viſum viſcerum incendium feliciter reſtinctum crediſſet quiuis, ignem in me denuo accendi, neque aliud eius pabulum exſtitiſſe praeterquam oleum lene aromaticum in cortice hoſpitans, quod ſacharo ſat mitigatum tantarum virium antea habuiſſet nemo. Adeo minutula et leuiſſima irritatione quam nullam futuram credibile erat, exacerbabatur exquiſitiſſimus fibrillarum neruoſarum ſenſus. Bene interim mecum agebatur, quod lenientibus iuſculis, gelatinis, ouis, mature mihi conſulere didiciſſem, horum enim ope mulcebam iterum leniter eroſa loca, acrium molecularum, vaporumque ab iis exeuntium contactu excandeſcentia, atque ſilentium felix criſpaturam doloroſarum impetrabam. Neque ab eo tempore ſiue proprio inſtinctu permotus, ſiue alienis exhortationibus perſuaſus, me eo abduci patiebar, vt aliquid vel in cibo vel in potu admiſiſſem aliud, quam ſapore blandiſſimum, maxime cum ſemel adhuc flatuum incommoda pauliſper impugnaturus a pauxillo ſemininis aniſi et coriandri

itemque ſemina carminatiua ſacharata.

coriandri ſacharo obducti, easdem prorſus moleſtas ſenſationes perciperem, quas ab aurantio pomo antea toleraueram, nempe tales ac ſi intus aura aeſtuante afflarer.

§. 43.

Nocte cibando et bibendo recepto meo more inter pertinaces vigilias transacta, et ſi ad pacem et quietem indulgendam proniora pathemata ſomno capiendo facere videbantur, quem fere per ſolum malum habitum a me abeſſe intelligebam, mane de ientaculo idoneo cogitabam, ab epulis ordinariis non abhorrente, namque aliud nec exoptaſſem, nec pertuliſſem. Ferebatur appetitus in lac oleo emulctarum amygdalarum et additione vitelli oui nutritioni et lenimini aptius redditum, quod et gulae, et tanquam amiciſſimum balſamum inteſtinis maximopere placebat. Id quoniam cum reliquis dapibus meis bene congruebat, aquam ſpadanam potui ordinario nunc inſeruientem maiori copia me impune aſſumturum credebam, ſi lacte calido remiſceretur, atque eo affuſo tepeſceret. Sed et ex hac miſcela magnum, et pluribus iudicationibus ſufficiens medicaminis genus enaſciturum fore, credibile erat. Scilicet Spadanae, quae a me inteſtinorum tono reſtituendo praecipue deſtinabantur, quod legiſſe olim apud

Dies morbi duodecima.

lac cum amygdalis tritum et vitello oui.

lac cum ſpadanis.

 Henr.

Henr. ab *Heers* in *Spadacrene* bene recordabar, ad ſcabiem in veſicae collo et corpore haerentem abſtergendam, mundandam, et ſaepe ad cicatricem perducendam aptae habentur. At vero eiusmodi ſcabiei moleculis furfuraceis et filamentis in vrina cum dolore excreta ſe ſe manifeſtantis idea rectiſſime ponitur, in acroſione tunicae interioris, neruoſae, glanduloſae, muco leniente obductae; cur ergo talis in duodeno et ieiuno ſcabies villoſae, neruoſae et glanduloſae horum tunicae inſidens, ſpadanis haud ſanabilis foret? imo vero cur non multo certius? cum locum affectum vis earum quam citiſſime attingat. Si autem id ita ſeſe habuerit, quis oleoſi lactis connubio ad hos fines ipſas ſpadanas multo magis idoneas futuras non vltro concederet! Magna igitur fiducia largiter potare has aquas ſoterias cum lacte incipiebam, nil aduerſi ab iis, ſed potius ſummum leuamen in locis, quae antea doluerant perſentiſcens, inſuperque eximium illum fructum cum gaudio animaduertens, quod aluus per integras 12. horas clauſa perſiſteret, ac iis elapſis aperta faeces non amplius lubricas, ſed naturalibus prorſus ſclo colore nigricante excepto ſimiles, cum ordinario egerendi conatu redderet. Omni exceptione maius documentum ita obtinebam robur elaſticum

dolorum lenimen.

deiectio alvina naturalis conſiſtentiae.

cum fibris inteſtinalibus redire, quod vt inſtaurarem et reſtituerem plenius, pergebam elegantiſſimum potulenti genus vlterius haurire, atque iuſculis, gelatina, ouis veſci, vt conſueueram. Recipiebat ab his nutrientibus blandiſſimis, imminutis ſenſim doloroſis ſenſationibus, diſparente lurido pallore, vultus priſtinam ſuam dignitatem, oſſulentumque corpus et flaccidi muſculi deperditum vigorem, quin ipſe animus reuiuiſcebat iterum, ſuasque vires recuperabat. Atque quod ſummam recentium mearum felicitatum conſtituebat, poſtquam lectulum prima vice egreſſus in ſella per horulas aliquot ſediſſem, atque in illum feſſus rediiſſem, poſt tot inter gemitus et ſuſpiria vigilatas noctes, obrepebat earum obliuionem ſecum adducens ſuauiſſimus ſomnus. Eius ineffabilibus deliciis per ſex continuas horas deguſtatis, euigilans, coeleſtibus bonis me potitum cumulatumque opinabar, dum illam voluptatem percipiebam, quae ſi omnes, quarum fruitioni par eſt humanum genus conſideraueris ordine, inter primas habenda eſt merito, ſenſum ſanitatis.

virium incrementum.

ſomnus.

§. 44.

Non opus eſſe arbitror, vt incrementa proſperioris meae valetudinis, quae de die in diem rectiora et auctiora per Dei gratiam deprehendebam, fuſius deſcri-

Dies morbi decima tertia et reliquae.

ſcribam; id notaſſe ſaltem fas erit, me ſeruato vsque ad diem ab initio morbi viceſimum quartum et vltra, diaetae expoſitae regimine ſtrictiſſimo, praeter ſpadanas cum lacte, iuſcula panis, carnium gelatinam, et oua tandemque panem ſacharatum, a piſtore dulciario paratum ingeſſiſſe nihil. Cauendum erat ſollicite a miculis ſalis culinaris, itaque vel cogitare de vere ſalſis, acidis, aromaticis, religio erat. Neque dura mihi videbatur haec viuendi ratio, cui fortunata illa otia, cui illos feſtiuos dies, cui illas a doloribus, tortoribus vacuas ferias, acceptas referre debebam; multa enim alia mihi oblectamenta permittebantur, quibus ſenſus internos et externos recrearem, guſtus laxioris et excedentis nullum vnquam mancipium. Qui victurus et moriturus eram libenter, flexam et obſequioſam arbitrio diuino voluntatem, tranquillamque mentem iuſſa domini patienter expectantem, primariam cauſam allegandam habeo quod euaſerim, a turbulentis animi motibus non raro aegros mortuos reminiſcens, quos ſi placida mente patienterque morbum ſuum toleraſſent, nondum forte atra dies abſtuliſſet. Aſſurrexeram certe in montoſa hac regione deſperate decumbens ad ſummum calamitatum culmen; interim ſine vlla noſtalgia aegrotans in pere-

diaeta eadem.

animi tranquillitas ſub morbo.

peregrino ſolo, quo abiiſſe me ex nutu Prouidentiae credebam, nullam ſepulchro aptiorem humum habebam quam hanc, nullibi quietura oſſa mea mollius arbitrabar, quam loco ipſis a condito mundo iam aſſignato. Amabam, et amaturus adhuc eram micante iam ſuprema cordis ſyſtole, meam Vratislauiam, culturusque et impenſe culturus tot Fautores et Amicos mihi beneficos, fatorumque meorum acerbitatem deplorantes, meque ſibi reddi ardenter deſiderantes. Nihil vero mihi denegarat rus, et vicina Hirſchberga quod ad ſeruandam vitam neceſſarium ducebam, ex ſolutoque omnibus viribus, abſorbendoque in quibus medius fluctuabam mortis faucibus, eam quietem corporis et animi non indultura fuerat alma mater, quam mihi praeſtabant, procul a negotiis me locantia, beata illa ſilentia vitae ruſticae, quae a teneris magni feci. Accumbebam in lectulo meo feneſtrae, per quam circumfuſam editiſſimorum montium coronam ſumma animi voluptate liberrimo obtutu contemplabar. Superbiebant et obtuſam atque caligantem oculorum aciem alliciebant veſtita multifariis coloribus illorum dorſa et cacumina. Conſpiciebam aſſurgentia ex imis iuga verſus, vetuſta et diffuſa longe lateque abietum pinuumque nemora, fron-

et recreatio varia eo ad finem vergente.

dium

dium arcte sibi inuicem implexorum gratissima viriditate placentia, exporrectoque in altum ex rectissimis stirpibus vertice, nubibus appropinquantia. Haec radiis solaribus quoties illustrabantur, fere fabulosi aurei seculi camporumque elysiorum icones sistebant, magis autem, quando per vmbras emortuo virore nigrescebant, ex remotissima antiquitate Priscorum germanorum lucos, et obscura habitacula reuocabant, in memoriam, maiorum nostrorum, quorum simplices et compositos mores fideique datae tenacitatem adeo graphice *Tacitus* describit. O quam longe, o quam turpiter ab iis recessimus nostra aetate! quo persuadere, fallere, mentiri, promissis non stare, eheu! proh pudor! inter artes seculi elegantissimas reponitur. Alibi passim segetes videbam lenis aurae afflatu commotas et diffluentes, intensaque ac aurea quasi flauedine suam loquentes maturitatem, ac messoris falcem propediem adfuturam expectantes. Argenteo autem nitore splendebant hinc inde ex alto praecipites se dantes riuuli, atque serpentino flexu numerosissimis cataractis deturbati, pernicissimoque itinere vallium planitiem petentes gramina harum et herbas irrigabant. Mane summo me salutabant egressae stabulis, ad prata properantes, seroque reduces vaccae, at-

que

que cum iis emiſſae, tandemque euntes domum ſaturae veniente heſpero capellae, a quarum omnium bene paſtarum vberibus, roſcidum meum et blandum alimentum atque medicamentum expectabam; inſuperque tintinnabulorum ſuorum leni clangore, ſomnum quo carebam allicere geſtiebant. Mirabar autem ante oculos meos incedere plumis criſtisque ſuis conſpicuas, nondumque conſpectum meum fugere mihi tandem iraſcentes gallinas, quod poſita ab iis oua breui ſpatio trium dierum et totidem noctium numero ſexaginta abliguriens guloſus helluo, prolem ipſarum, ſpemque omnem familiae et poſteritatis annihilarem. Ad radices montium qui oculis meis obiiciebantur, prouoluitur Zacus, quem olim furibundum, tanto fragore ac ſi feruente in vicinia marte, bellica tormenta exploderentur, maximae molis ſaxa trudentem et conquaſſantem, immanique ſtrepitu inundationes ſubitaneas inferentem, horreſcens videram; iam ille aures meas nullo moleſto ſonitu offendens leni curſu circumfluebat lambebatque lapidoſos ſuos incolas, ac mox ſtagnans ad tempus bona noua de mea valetudine expectare videbatur, mox iterum tenui murmure thermas et Hirſchbergam verſus procedebat, nondum me occubuiſſe ſcire auidis ſortem meam amicis denunciaturus. Vnum ſupererat

pererat felicitatis genus, omnibus locorum amoenitatibus facile praeferendum. Vtebar contubernio Amicissimi *Volkmari*, mirum quantum de rebus meis solliciti, et summo mane, et adulta iam nocte, et per vigilatas noctes, salutis meae studiosissimi, atque ad erigendum animum eruditione, et facundia sacra instructissimi. Erubescat Hirschberga, erubescat tota Silesia, quod solertissimum disciplinae Summi *Moshemii* Alumnum, ad maiora natum, et sapientissimis Auditoribus e suggestu placere gnarum; altiori loco reponere oblita sit hactenus! Anne ergo Petersdorffii et reuiuiscere, et mori amoenum erat? Prius cum ex immutabili et aeterno prouidentiae diuinae decreto experiri deberem, submissa mente venerabar prorogatum mearum dierum terminum, viuereque vlterius iussus citius saniorem vitam iterum exorsus essem, nisi acerbissimus aliquis et tragicus casus nemini praeuidendus, omnem meum animum deiiciens virium incrementa valde inhibuisset. Iter fecerat noctu, coelo tonitrubus, fulguribus, imbribus, et grandine horrido, propriae valetudinis oblita, cum vxore mea et filiabus, vt eas in via solaretur, meque medicum suum et amicum moribundum aut videret vltima vice, aut iam demortui sepulturae adesset, integerrimo affectu ducta honestissima quaedam foemina;

sanitatis incrementum luctuoso aliquo funere retardatum.

omni-

omnibus virtutibus quae ſexum amabilem exornant conſpicua; ac, eo magis mihi chara, quod fratrem eius optimum Virum, Supremi Iudicii in Sileſia Secretarium, *Foerſterum* meum, ipſe fratre orbus, ceu fratrem germanum amem et colam. Illa conflictata per multos annos cum pathematibus hyſtericis pro teneriori ſua et ſenſibili fabrica corporea, iam ſana vtcunque ad me delata, hilarique corde me conualeſcentem videns, ſubito clauo ſuo, vomitu, tremoribus, leuioribus conuulſionibus artuum prehendebatur. Opponuntur ſueta ſuetis pathematibus remedia quibus toties ceſſerant, ſed eheu febris iungitur continua, venae ſectioni et clyſmatibus rebellis, vixque vllis internis remediis ob nauſeam inſuperabilem omnium, et creberrimas vomitiones, impugnanda. Huius acceſſu de inſtante periculo monitus, ipſe aeger, lecto adhuc affixus, pedibusque inſiſtere nondum valens, tamen accepta beneficia ingrato et inhumano animo rependere neſciens, deportari me in vicinum in quo decumbebat, conclaue facio. Omni tamen arte qua pollebam, ſeruare nequibam miſeram, ſed aeſtu inextinguibili perſeuerante, tandem iacebat ſoporoſa, atque inter miras, et celerrima viciſſitudine ſeſe excipientes faciei conuulſiones, quas iconem muſculorum faciei Santorinianam perpetuo ante oculos habens,

bens, vix capere et explicare poteram, candidiſſimam animam exſpirabat. Impar ſum prorſus deſcribendo intenſiſſimo moerori, luctuique ſingulari, quo me afflictum ſentiebam, neque poteram quoties imperſcrutabilem rerum mearum cataſtrophen meditabar, optimam foeminam aliter quam victimam conſiderare in meam ſalutem immolandam, mortemque illius quaſi λύτρον habere, cui vitam meam redemptam debebam, dum oſſa eius eidem ſepulchro inferri videbam, quod mea condere debuiſſet. Rarum certe hoc mortis genus, raro amicitiae documento paratum, cedroque et ſempiterna memoria digniſſimum, exſoluta illa officia probat, noſtro aeuo vix exſolui ſolita, quae olim ab amicitia vera et infucata popoſcit Seneca: *Amicitiae*, inquiens, *ſuam detrahit maieſtatem, qui illam parat in bonos caſus. In quid amicum paro vt habeam pro quo mori poſſim, vt habeam quem in exilium ſequar, cuius morti me opponam et impendam.* Neque puto notabilem hiſtoriam morbi mei cui nihil deeſſe volui, cuiusque deſcriptionem iam finio, nobilem hanc quam ipſi imponendam ex merito duxi, dedecere Coronidem.



ANIMAD-

ANIMADVERSIONES

THEORETICO-PRACTICAE.



§. 1.



Diffuſam ſatis et mei morbi, et mei ipſius, et meae medendi methodi, hactenus perſcripſi hiſtoriam; poteramque nunc Lectori ſoli operam relinquere, deducendi ex illa quaedam conſectaria, et theoriam huius aegritudinis illuſtrantia, et in praxi vtiliſſima futura. Verum ipſe lubens eiusmodi labori me accingo, capitis mei periculo vir experientiſſimus redditus, atque ſpecialem prouinciam docendi hoc argumentum practicum, prae aliis Doctoribus adeptus. Abfuerunt a me valde pauca ex illis ſymptomatibus, quae tanquam cholerae propria, ab Hiſtoricis morborum antiquioribus et recentioribus deſcribuntur, plurima vero quae ſenſi ipſe, adeo accurate deſcripta lego apud *Hippocratem*, *Aretaeum*, *Trallianum*, *Aetium*, *Celſum*, *Coelium Aurelianum*, *Piſonem*, *Sennertum*, *Riuerium*, *Ettmullerum*, *Sydenhamum*, *Hoffmannum*, *Va-*

Cauſa Cholerae proxima, et remotiores in genere.

 terum,

terum, *Teichmeyerum*, Autoresque Historiae Morborum Vratislauiensium, etc. ac si praestantissimi hi Viri mearum aerumnarum fidelissimi exstitissent obseruatores. Ad illos itaque et alios plures, ablego Lectores meos, qui concinna dictione et graphice exarata videre cupiunt mala singula, quae vnquam apud aegros cholericos sese manifestarunt. Omnes autem quotquot tandem arduum hoc morbi genus pertractarunt scriptores medici, vt in eo consentiunt quod formalis eius ratio consistat in conuulsione vehementi ventriculi et intestinorum, ita quoque vno ore causam conuulsionis huius ponunt in acrimonia quadam tenui, rodentissima, et causticae prorsus indolis, nerueos ventriculi et intestinorum villos irritante. De illa secta quae insaluberrimos hos et mortiferos toties motus salutares, et non ab ipsa acrimonia, sed propter eam a sapiente principio adornatos sibi imaginari potest, nil loquor. Licet vero omnino vanum sit, subtiliori speculatione physica et chemica figuram spiculorum irritantium indagare, vel prolixa disputatione inquirere, ad quodnam salium cognitorum genus specialissime peccans in cholera acrimonia referenda sit, vel et sine omni ratione sufficiente naturam et originem huius acris sibi fingere pro lubitu, quod

magnum

magnum *Paracelſi*, *Helmontii* et *Syluii* aliorumque vitium fuit; tamen cum certiſſimum ſit cholericam acrimoniam non ſemper omni tempore, et in omnibus aegris ſibi ſimilem eſſe, multum omnino refert noſſe exactius verum eius ingenium, vt antidota iuſta ipſi opponantur. Ego quando omnes practicorum deſcriptiones generales mihi lectas de hoc morbo, obſeruatorumque indiuiduales eaſus vno quaſi obtutu perluſtro, cauſam proximam eius acrimoniam quae vnquam choleram produxit, et producere apta eſt progenerari video, primo ab ingeſtis aere, ciboque et potu; dein a degeneratione humorum domeſticorum noſtri corporis in ventriculo et duodeno confluentium; porro a remediis draſticis inſtar veneni agentibus, tandem a venenis proprie talibus. Ad has cauſas ſemper mali ortus reuocari poteſt, a quibus tamen ſolidorum peccata non prorſus excludenda ſunt, vitia volo conformationis ductuum bilem vehentium, et eructantium a *Riolano*, *Dimerbroekio*, *Boneto* et aliis notata.

§. 2.

Aerem continere in ſe chaos effluuiorum aqueorum, terreorum, ſalinorum, ſulphureorum omnis generis, ex vegetantibus, animalibus, mineralibus con- *Aër.*

 tinuo

tinuo aſſurgentium, nemo phyſicorum medicorumque negat. Haec vero mota et inter ſe miſta procreant omnino illud abſtruſiſſimum θεῖον, illud generi humano adeo infeſtum acre malignum, quod inſpiratione et deglutitione cum ſuo vehiculo hauſtum peſſimae notae aegritudines easdemque maxime epidemicas excludit. Inter eas autem et choleram morbum quandoque ſeſe efferre, tyrannicamque ſtragem longe lateque edere ſolere nimis eheu rerum vſu compertum eſt. Talem cholericam epidemiam inter alios *Williſius* habet, qui dyſenteriam incruentam (ita ipſi choleram appellare viſum eſt) Londini a. 1670. immani ferocia populariter graſſatam deſcribit [1] atque in aërem culpam omnem coniicit, quem liquori nerueo vitium affricaſſe putat, quod ipſum conceſſerim lubens, quando actionem primariam ſtimuli epidemici in villos neruoſos mente concipio. Non minus ciuis eius *Thomas Sydenham* ad morborum epidemicorum autumnalium familiam choleram a. 1699. grauius multo quam antehac graſſatam refert, ſtatuitque in aëre peculiaris menſis peculiare quippiam eſſe reconditum, quod ſpecificam alterationem ſoli huic morbo adaptatam, vel cruori, vel ventriculi

1. Pharmaceut. ration. Sect. III. c. 3.

triculi fermento valeat imprimere [2]. Neque tamen ſaltem quatenus miasmata maligna neruoſis noſtris partibus inimica continet, aer Cholerae geneſi aptus cenſendus eſt; ſed eundem morbum ſolo exceſſu ſui caloris excludere valet, maxime ſi inde aeſtuans corpus ſubitaneam refrigerii viciſſitudinem experiatur. Eiusque modi choleram epidemicam habet *Lentilius* [3], cuique cauſam in tempus pluuioſum et vna calidum, potumque liberalem ingurgitationem reiicit. Sed et per frigus admiſſum exterioribus corporis, acre calore in ſuccis eiusque genitum conſtricta cute, ad interiora propelli, et vrgeri, ibidemque morbum hunc tum excludi poſſe, ſtatuendum eſt, cum experientia id nimis doceat.

§. 3.

Ipſa etiam deinceps quibus non minus quam vſura aëris ſanitatem noſtram et vitam ſuſtentamus, alimenta et potulenta varii generis, hoſtilem eiusmodi acrimoniam primis viis inferre, aut ibidem otioſa ſubſiſtentia, ſuaeque indoli natiuae permiſſa talem excludere valent, quae cholerae producendae ſufficiat. Id dudum agnouit *Trallianus*, choleram fieri *Cibus et Potus.*

M 4

2. Sect. IV. cap. I. et II.
3. Eteod. p. 568.

fieri ob copiosum cibum assumtum et quia concoqui non potuit, corruptum, pronuncians [1]. Sola quippe optimorum quorumuis, benigniorum et in se blandissimorum ingluuies, vires digestionis superans, quandoque in culpa est, multique canina appetentia brutalique ventris sagina fatum incurrunt Biantis Pugilis apud *Hippocratem*, qui nimia carnis comestione choleram sibi contraxit [2]. Longe vero nocentius fuerit, si esculenta dura, viscida, tenacia, aegreque coctioni obedientia, et in chymum difficulter conuertenda affatim ingesta sint, aut si vt Seculum est, varia sapore, et indole inter se pugnantia dulcia, acida, salsa, aromatica pinguia vno prandio, vel quod peius est vna coena ingurgitentur varia eiusmodi mensarum noxia incitamenta, inter quae tamen nonnulla in desuetudinem delata nostri aeui coquinae ignorant, iam literis consignauere alii Veteres, post *Hippocratem* [3]; supersunt interim quae vt olim, ita et nobis choleram frequenter excitant. Veniunt autem praecipue in malum censum carnes tenaciores et pingues, fumoque induratae, maxime suilla, farcimina multa pinguedine praegnantia, et pipere

1. Lib. VII. c. 14.
2. Lib. V. Epid. t. 27. no. 6.
3. Epidem. VII. 40.

pipere largius condita; omnia butyro frixa, caſeus antiquus, pinguis, rancidus; lacticinia, acetariorumque liberalis vſus. Saepe ſaepius etiam nocuiſſe obſeruati ſunt fructus horaei, mala perſica, armeniaca, ceraſa, fraga, poma, pyra, cucurbitae, melones, cucumeres ex quorum ſolorum vſu multos in Choleram incidiſſe vidit Schenckius [4], atque olera tandem omnis generis. Mirum eſt peſſimae notae haberi in catalogo cauſarum cholerae ouula barbi piſcis *Gesnero* et *Aldrouando*, piſcium deſcriptoribus, atque inter Practicos fere omnes *Timaeo* [5], *Lentilio* [6]. Autoribus Miſcell. Nat. Curioſ. [7], ea propter notata, quin a *Stentzelio* et aliis pro veneno ſui generis declarata [8].

Quod potum attinet, cereuiſia nouella vinumque recens, et praecipue muſtum incredibilem prorſus vim continet inducendi choleras. Haec quippe potulenta omnia, hauſta in actu fermentationis,

 vel

4. Lib. III. obſ. 1.
5. Caſuum lib. III. caſu 7.
6. Eteodr. p. 548.
7. Ephemer. Dec. II. Anno I. obſ. 15. Act. N. C. dec. II. an. VIII. obſ. 25.
8. In nobis ad Lindeſtolpium de Venenis p. 286. ob ſal acre alcalinum quo ſcatent, maxime tempeſtate calidiore.

vel eandem iam perfuncta in calido Ventriculo denuo tumescentia, rarescentia, motuque intestino agitata, spiritum generant elasticum acrem sui generis, neruoso generi infensissimum, fibrasque sensiles ventriculi et intestinorum irritantem et conuellentem. Idem patrant fructus horaei, de quibus dictum, atque ex quibus omnibus vinum fermentatione parari potest. Sed et vina probe defaecata, et in cadis diutius asseruata, si strenuis haustibus bibantur, aut si vt hodie in conuiuiis fere moris est, quae ex diuersarum regionum vuis pressa sunt, vna in mensa confluentia iugiter in salutem accumbentium educantur, licet limpida valde et suauissima fuerint, ventriculo miscela et mole diu onerosa acrimoniam induunt. Vnde fit quod hodie tanto magis conuiuia et crapulae, quae olim iam *Hippocrati* inter caussas Cholerae numerabantur [9], hunc morbum inuitent, eundemque inter alias intemperantiae poenas Heroes Potatores reportent. Perinde autem omnino est, quale specificum acre ex ingestis sua natiua dote in hanc vel illam cruditatem pronis, in digestionis viribus obsequiosa in laudabilem chymum immutentur, tandem exsurgat; siue illud acidum, siue nidorosum,

9. De affect. 28. et Popul. V. §. 27.

ſum, ſiue ſalſum et muriaticum fuerit, cum eadem omnibus ſtimulandi irritabiles valde villos nerueos virtus competat, hac vero poſita morbus ſtatim queat excludi. Multas ex Autoribus Practicis hiſtorias aegrorum compilare poteram, qui ex delictis diaeteticis grauioribus non ſemper ſibi ſimilibus, ſed diuerſimode peccante appetitu commiſſis, choleras contraxerunt, ſed praeſtat Lectores ablegare ad ipſos fontes. Fere oblitus eram commemorare potum aquae frigidae, vel vinorum glacie refrigeratorum calenteque corpore auide ingurgitatorum, cuius rei notabilia exempla non minus in Scriptorum Medicorum monumentis occurrunt.

§. 4.

Vitia liquorum domeſticorum corporis.

Tranſeo ad vitia liquorum corporis inquilinorum antea, ex aſſumtis laudatiſſimis et bene digeſtis paratorum, inter quos illi vt facile clarum eſt ſaltem luſtrandi ſunt, qui in primis viis confluunt, ibique moras nectunt, cum hi ſoli ſi acrimonia peccent, immediato contactu agere queant in parietes ventriculi et inteſtinorum, morbumque quem loquor valida ſua irritatione excludere. Spectat huc praecipue, quae cum et ſine cibis perpetuo deglutitur *ſaliua*, de qua certum eſt, quod in ſanis ſit omnis ſaporis expers,

expers, nilque acris contineat, ſaltemque aegrotantibus, et plerumque ob abſtinentiam a cibo, et calorem praeternaturalem ſalſa interdum et amaricans deprehendatur. In ieiunantibus male olere incipit et ſaporem nauſeoſum et putidum habere, linguamque, fauces, gingiuas, tum moleſto pruritu afficit et leniter rodit, poſt valde diuturnam inediam valde acris reddita fortius. Summo equidem igne, qui vero in corpus viuum non cadit pauxillum ſalis volatilis foetentis exhibet, quare ille ſaltem Vulcani non Naturae filius haberi debet. Praeternaturalis autem eiusque acrimonia, quae tamen maxime admiſtis aliis humoribus vitioſis debetur, vix vnquam ea obſeruata eſt quae cholerae excitandae ſuffeciſſet. Sequitur *liquor gaſtricus*; ſed et hic eſt leniſſimus, blandiſſimus, vixque alius quam ille, quem oculi glandula innominata lachrymarum nomine fundit. Equidem ſal continet mediae naturae, ſed valde exigua copia, ſummeque dilutum, etiam in hominibus et brutis valde voracibus, nullum in eo alcali, nullum acidum, vt opinatus eſt *Helmontius*, et qui eum ſecuti ſunt. Inter hos referendum eſſe Cl. *Schulzium*, vix aliquis crediderit, ſed fatetur ipſe, ſe ſentire cum illis, qui liquorem gaſtricum in ſtatu naturali acido ſalſum iudicant, multisgue

argu-

argumentis hanc ſententiam ſtabilire molitur [1]. Ego vero vereor valde, ne acidum illud ſit a ſolis reliquiis ciborum aceſcere aptorum; quomodo enim ex ſanguine nil acidi habente, ſed in putredinem ſua indole prono, ſecerni poſſit liquor acidiuſculus non bene capitur. Si vnquam acrimonia in liquore gaſtrico inuenta fuit, fere obſeruata eſt poſt diuturnam inediam; id vero commune omnibus noſtris humoribus, qui ſine exceptione alcaleſcere, et acriores reddi incipiunt, niſi benignus et mitis quotidie ipſis admiſceatur chylus, ne quidem lacte foeminarum prorſus excepto. Succedit *ſuccus pancreaticus* quem *Syluius* confutatus toties gratis acidum habuit, cum potius ſit prorſus inſipidus, aut ſaltem leniſſime ſalſus et ſimillimus ſaliuae; vnde et a *Boerhaauio* et diſcipulis ſaliua abdominis interdum appellari conſueuit. Eadem omnia etiam omnino valent de muco, ex glandulis oris, oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum deciduo. Faciunt mecum et tuentur harum adſertionum veritatem moderni Phyſiologi omnes, qui nil precario et ex hypotheſi ſumunt. Patet igitur in liquidis nominatis omnibus, extra caſum diuturni ieiunii, aut progreſſo-

1. Diſſ. de naturali et praeternaturali menſtrui ventriculi conſtitutione §. 7. 8. 9.

greſſorum et complicatorum morborum, qui craſin eorum naturalem immutarant, nullam acrimoniam poſſe concipi, quae pungat praeter naturam irritetque ventriculum et inteſtina. Ego certe non negauero vnquam, illa ſubinde per morbos ab indole naturali recedere, iam vero choleram ab alio morbo excluſam, itemque ſympathicam, qualem nonnulli medici habent, meam non facio, ſed vnam idiopathicam loquor, et ſubito rariſſimos mortalium aggredientem et perimentem.

§. 5.

Maxime bilis. An vero etiam iure ſuo quae conſideranda reſtat bilis, in ſe quando recens ſecreta eſt, non minus blanda, abſolui poteſt ab illa culpa, quod non facile contrahat eam acrimoniam quae poſſit producere choleram? Diſpiciamus accuratiſſime! Id ſi aſſerere auderet aliquis, magno ſtrepitu unoque ore, ſibi contradicentes haberet veteres ſine exceptione omnes, eousque enim ipſis male audit bilis, vt ſolam fere ſemper aliis cauſis vel plane non, vel obiter ſaltem allegatis, morbi materiem eſſe conſtanter clamitet. Non forte praeter rem ſuſpicor, id ipſum olim Cl. *Bohnio* diſputaturo Lipſiae pro loco *de Cholera* anſam dediſſe, praemittendi in panegyri doctorali quae-

ſtionis

ſtionis reſolutionem, *an bilis ſola cholerae cauſa ſit? Diemerbroeckig* [1], quando nullum alium irritantem ſtimulum quam bilem acriter efferueſcentem, et ſubito in duodenum ex hepate et ductibus cyſtideque exturbatam, in cholera admittit. Nil vero me mouet hic Veterum Auctoritas cui multum iam derogauit Cl. *Pechlinus* [2], ex cholera ſeroſa quam deſcripſit, quamque prorſus ἄχολον fuiſſe refert, rectiſſime inferens, bilem quandoque prorſus a culpa immunem eſſe, cauſamque morbi aliunde omnino eſſe repetendam. De vomitibus et alui deiectionibus mere aquoſis, et fere limpidis raro bilioſis in deſcriptione cholerae verba quoque fecit *Williſius* [3], atque phlegma acidum ipſe reiectum vidit Ridley [4]. Poterant equidem qui Medicae Antiquitatis nimia hic, vt alias interdum veneratione ducuntur, prouocare ad Obſeruationes *Gliſſonii* [5], qui cholera peremptorum cadauera inueſtigando veſiculam felleam vacuam, totumque hepatis viſcus exſuccum inuenit, atque exinde concludere audet, a ſpasmo hepatis, veſiculae, et ductus choledochi bilisque

1. Anat. lib. I. c. 7.
2. Lib. I. Obſ. 55.
3. Pharmaceut. Rational. Sect. III. cap. III.
4. Obſ. I.
5. In Anat. hepat.

bilisque adeo emunctione, nasci choleram. Nil vero hoc ipsum facere, ad stabiliendam causam vnice biliosam in cholera ex infra dicendis clarius apparebit, quando seorsim demonstraturus sum, stimulum quemuis alium quam biliosum, positum in ventriculo et intestinis, choleram posse proritare, atque quemuis sua irritatione ad fluxum humorum vberiorem aduocando, non bilem saltem ex capsula et ductibus, in quibus asseruabatur et mouebatur, sed omnia totius corporis liquida sine exceptione emungere. Mea quidem sententia peccant vtrinque, qui vel semper bilem in cholera causam statuunt, vel nunquam aut raro nimis in eadem culpam ponunt, cum et negari nequeat, dari choleras bile ab omni vitio immuni, et simul certissimum omnino sit, inter alias causas proximas cholerae illam eminentem hercle locum occupare, quatenus desciscens a sua natiua indole, acerrima et rodentissima acrimonia quam acquisiuit, nerueas tunicas ventriculi et intestinorum vellicando hoc malum proritat. Hanc autem acrimoniam, dum qui eam agnoscunt autores exacte determinare aggrediuntur, denuo in magnam confusionem Lectores inducunt, si his acquiescere vel in vnius vel in alterius sententiis placuerit errore et cespitatione, dein in ipsam praxin defluente.

§. 6.

§. 6.

Bilis putredini obnoxia stimulo suo parit choleram.

Ego iam in hac materia occupatus fingam nihil, nil gratis sumam, sed filum experientiae et rationis castissimo incessu sequens rem omnem clarissimam reddere annitar. Bilis sua naturali dote saponacea, pinguis, oleosa, in hepatis viscere secreta, fluensque ad cystidem et per choledochum ductum ad intestina, blanda est, dulcis fere, et insipida potius, quam amara, et acris; asseruata in cystide sola stagnatione et mora sensim redditur amarior, et acrior, eaque de causa bilis cystica sese ab hepatica perpetuo distinguit. Eadem vero bilis hepatica blanda, stagnans et moras nectens in duodeno, vel in ventriculo si vacuum illum hiante pyloro ingressa fuerit, perinde acrior redditur, vt stagnans in cystide, imo vero per peculiares causas illic eminentiorem longe acrimoniam ad alcalescentiam summam, et ipsam putredinem assurgentem, potest contrahere, quam hic. Nullum dari in corpore humano humore, qui ex se in putredinem, eamque teterrimam magis vergat quam ipsa bilis, in vulgus notum est; igitur eam tanto citius ruere in putridam corruptionem debere, si conditiones hanc degenerationem iuuantes adfuerint, vltro perspicitur. Constat autem experientia, nil magis iuuare veram putredinem corporum in eandem

procliuium, quam quietem, acceſſum liberum aëris maxime humidi et calidi, humiditatemque et calorem aliunde pendentem; cum e contra motus, frigus, et ſiccitas, aërisque non frigidi et ſicci acceſſus prohibitus, putredinem quam feliciſſime ab illis abarceat. Haec ſi applicentur ad bilem ſtabulantem in duodeni et ventriculi cavea, facile intelligetur, qui fiat vt illa ibidem facillime ac citiſſime alcaleſcat et putrefiat. De ſtagnatione et quiete iam dictum, quousque enim mouetur circulumque ſuum obit per hepatis viſcus, non facile tali corruptioni eſt obnoxia, aliter vero ſeſe res habet, quando extra circulationis leges conſtituitur. Aeri vero liberum patere in ventriculum et inteſtina introitum, viſcera haec ſemper humida deprehendi, caloreque moti per vaſa arterioſa ſanguinis aſſiduo foueri ſcitur, nil ergo mirum tantae bilis fracedini ibidem idoneum locum eſſe. Vt in ſenſus incurrat haec veritas, excipiatur bilis ſaniſſima, recentiſſima vaſe, apertoque vel clauſo eodem exponatur calori illorum graduum, qui homini ſano natiuus eſt; apparebit eam citiſſime prae omnibus humoribus noſtris putreſcere, et odorem mutare in putrefactum, ſaporem fieri acerrimum, atque ipſam daturam eſſe verum alcalinum ſalem, cum vitrioli ſpiritu efferueſcentem. Eam nimirum ad

amuſſim

amuſſim ſortem per cauſas dictas experitur bilis, quam pinguia omnia et oleoſa experiuntur, quae aſſumta ſola mora et calore viui corporis flauedinem acquirunt, rancidumque et acerrimum amarorem contrahunt, ad rodendas et inflammandas irritabiles delicatulae ſtructurae tunicas aptiſſimum. Ita vero deprauatam et putrida acrimonia peccantem bilem, ſuo ſtimulo eousque exagitare poſſe motum periſtalticum, vt ſurſum deorſumque vehementer intendatur, vomitusque et deiectiones crebriores concitet, nemo mirabitur, qui perpenderit illam adeo bene et ſecundum naturam conſtitutam naturalem ſtimulum perpetuo inteſtinis inferre, quidni igitur naturali mirum quantum acrior praeternaturalibus contractionibus fibrarum ciendis ſufficiet? Porro cum toties in Praxi ſenſim occurrant vomitus a bile eiusmodi acriori et putrida, itemque diarrhoea a tali bile pendentes, cur non etiam talis morbum ex diarrhoea et vomitu compoſitum, choleram poſſet producere?

§. 7.

Morbum iuuat copioſior eius ſecretio.

Quando vero in prima regione ſtagnando alcaleſcens bilis hunc morbum vere toties excludit, eius ortum quam maxime accelerari, decurſumque grauiſſimum reddi in propatulo erit, ſi

bilis ſecretio antea reddita fuerit copioſior, ipſaque copioſius ſecreta et collecta, vi quadam, vnoque quaſi impetu ad duodenum propellatur, ac ibi dein diutius moras nectat. Solent illi hominum qui vaſa ampliora et magno robore elaſtico donata obtinuerunt, communi Medicorum conſenſu appellari Cholerici ſeu Bilioſi, et merito quidem, namque ipſis ob pulſum validum et calorem intenſiorem vberior in ſanguine generatur materies, ex qua in hepate bilis ſecernatur; hincque eſt, quod ad Choleram morbum admodum proni habeantur. Hi ſi ſimul corpus vehementius exerceant, maxime aëre exiſtente calido, ſalibus et ſulphuribus ſanguinis magis exaltatis, eo maiorem copiam bilis elaborant; ſolenniter quippe vt egregie *Hoffmannus* notat [1], omnibus hominibus tempore aeſtiuo ob vehementem calorem multum bilis generatur, et ad inteſtina fertur, iisque qui corpus crebrius motu exercent, excrementa bile copioſius tincta excluduntur. Atque ob illam ipſam quam loquor bilis copioſioris et ſimul acrioris generationem, euenit omnino, quod conſentientibus obſeruatoribus aeſtate potiſſimum cholera graſſetur, atque in iis regionibus quae feruido ſub Ioue conſitae ſunt,

1. Med. Syſt. Tom. III. p. 318.

ſunt, maxime ſtragem edere ſoleat. Ipſe parens artis *Hippocrates* ex inſolatu ſaepiſſime, et aeſtate [2]); verum aeſtate maxime, vere et autumno minus, hyeme omnium minime choleras ſolennes eſſe *Aretaeus* ſcribit [3]). Inter recentiores *Zacutus Luſitanus* Choleram in oriente frequentiſſimam plurimos necare, et in Arabia fere lethalem eſſe memorat [4]), quod ipſum quoque *Bontius* confirmat in India orientali choleram frequentiſſimam eſſe teſtatus [5]). Atque apud eundem alio loco [6]), me legiſſe memini ipſam incolis Iauae inſulae, ob ſolum aerem calidiorem quaſi endemiam et non minus ac ipſam peſtem formidabilem eſſe. Londini *Sydenhamus* menſe Auguſto ordinarie graſſari ſolitam fuiſſe choleram, ita vt rariſſime eius terminum exceſſerit affirmat, atque ita aeſtate fugiente et autumno imminente familiarem fuiſſe [7]). Vratislauiae quo feruidiores ſunt ſolis ardores, eo frequentiora eſſe cholerae exempla, ſub initium decurrentis ſeculi edixit Celeberrimus noſter de *Helwich* [8]), aſſertique

 verita-

2) Popularium VII. 40.
3) Lib. II. c. 5.
4) Pr. Hiſt. lib. V. obſ. 33.
5) De Med. Indor.
6) In Hiſt. Nat. Indiae lib. II. et III.
7) Sect. IV. cap. II.
8) Hiſt. Morborum Vratisl. 1702.

veritatem, integrum dimidium eius quod elapſum eſt ratam omnino habuit. Sat certum igitur redditur, aeſtum aëris et ſanguinis iuuare largam ſecretionem bilis, adeoque cauſam a qua toties hic morbus pendet.

§. 8.

Atque violenta effuſio in duodenum.

Vt vero ſanguinis aeſtus facile bilis vberioris geneſin, ita nil magis, praecipitem eius et rapidum effluxum ex conſtricto violenter atque conuulſo cyſtico canali et choledocho communi in duodenum proritat, grauiore aeſtu animi. De veritate rei medicorum nemo dubitat, ſed omnes potius exacte conſentiunt atque excuſſionis bilis praecipuam cauſam cum *Iunckero* [1]) iracundiam habent, ſaltem de fiendi modo quaeſtio eſt. Ipſe certe magnus *Boerhaauius* bilem acerrimam ſolo animi affectu natam producere multos ventriculi et inteſtinorum morbos equidem aſſerit, cauſam vero vix hactenus explicatam ſimul monet [2]). Non videtur probabile affectionem quandam mentis qualis eſt iracundia, agere immediate in liquida noſtri corporis, eorumque naturalem craſin immutare, atque deprauare; quicquid enim pathemata animi

1) Tab. de cholera.
2) Inſtitut. §. 788.

animi ſingula mutare obſeruantur in machina noſtra, id vix praeſtant aliter, quam mutando motum ſolidorum, eo vero mutato, quoniam inde et progreſſiuus et inteſtinus fluidorum motus pendet, vitia demum in haec migrare, valde credibile euadit. Cum ergo non ſaltem cordis et arteriarum ſyſtolen valde intendat iracundiae affectus, ſed et ſpasmos et conuulſiones in membranis nerueis aliarum partium proritet, quod ipſum tot aegritudines ab ira euenientes, quarum ingenium ſpasmo et conuulſione vnice abſoluitur, clariſſime teſtantur, dubitari nequit, iram agere etiam in membranas nerueas folliculi fellei, ductumque bilem ad inteſtina allegantium, easdemque validius ſtringere et conuellere, concuſſuque violento maiorem bilis copiam exprimere. Cur autem iracunda animi commotio fere praecipue ac frequentius in has partes quam alias agat ſpecialiſſime explicare vix licet; ſaltem aetiologiam effuſae poſt talem affectum bilis, phoenomeni nimis ſaepe obuii, a conuulſione ductuum biliferorum petendam eſſe rati ſunt, cum aliis bene multis praeſtantiſſimi Viri *Hoffmannus* [3]), *Schultzius* [4]), *Teichmeierus*

3) Paſſim et med. ſyſt. Tom. III. p. 102. 123.
4) Diſſ. de bile foecunda morborum matre §. 17.

meyerus. [5]) Verum bilis ſi copioſius effuſa fuerit, quam opus erat pro naturali iuuamine digeſtionis, aliorumque ſuccorum in duodeno confluentium proportionata quantitate, non aliunde demum acrimoniam ſuam eiusque maximum gradum expectandum habet, ſola quippe mora illi excludendae breui tempore ſufficit, vt iam monſtratum eſt.

§. 9.

Quod teſtimonia autorum probant.

Atque hanc ſolius bilis copioſius generatae, corporisque ac animi excandeſcentia commotae, ſuam indolem ſequentis, inque putridam alcali vergentis acrimoniam generare poſſe choleras graviſſimas, et ſaepe ſaepius generare, licet de ſpecifico hoc vitio autores multi de cholera tractantes taceant, rerum vſus omnino docet, neque omnes ſatis attenti ad morbi ingenium, illud quod loquor vitium potuerunt praeteruidere. Agens de dyſenteria bilioſa peculiari tractatu Cl. *Degnerus bilis*, inquit, *vario modo e. g. ab ira, a ſummo aëris aeſtu aliisque cauſis poteſt excandeſcere, putreſcere, et ita mutari, vt acerrimus et admodum corroſiuus humor euadat, qui corpus intra breue tempus tanquam venenum deſtruit*, addit poſtea quae huc maxime faciunt ſequentia: *Hoc teſtatur morbus dyſenteriae*

5) Diſſ. de Cholera §. 15.

riae biliosae aliquo modo affinis, praeterquam quod contagiosus non sit, cholera, in quo saburra biliosa ventriculi et intestinorum adeo caustica et corrosiua euadit, vt veneni septici instar vias per quas transit arrodat, corrodat, et excoriet, hincque magnos cruciatus, cardialgiam summam, vomitum, alui fluxum, aliaque lethalia et dysentericis maxime familiaria symptomata excitet. [1]) Cum *Degnero* facit Cl. de *Gorter* explicaturus nempe aphorismum *Hippocratis*: *Vltra iuuenilem aetatem progressis asthmata etc. febres ardentes alui profluuia, cholerae, dysenteriae accidunt*, ita egregie differit. [2]) *Bilis maiori motu non compingitur in humorem lentum, sed liquescit fit acris et vrens, vt omnia pinguia per maiorem calorem. Ita bilis materia maiore corporis robore et motu in adultis secreta et deposita in intestina, ea sua vellicante acrimonia in perpetuam deiectionem sollicitat, et quoniam manet bilis scaturigo, etiamsi deponatur aluus, generari debet alui profluuium diuturnum, tam diu durans ac generatur in hepate et vesicula fellea bilis tenuis et acris. Bilis tenuis illa et acris calida iisdem causis nata, sed congregata magna copia in vesicula fellea ductuque choledocho tandem abundans in duodenum erum-*

1) Cap. II. §. 62. et 63.
2) Med. Hippocrat. ad lib. III. aph. 30.

pens sua rodente soluente virulentia non solum intestina in motum inordinatum validum et inuersum concitat, sed in ventriculum per pylorum delata totum chyli organum mirifice exagitat vt ipsa bilis coeteraque contenta intestinorum et in ea confluentes humores concitato hoc motu magna vi pellantur per vomitum et secessum, magno aegri discrimine.

§. 10.

Sed et choleram parit bilis putrida nidorosis cruditatibus adiuta; atque bilis acidae saburrae praedominantis acrimonia imbuta.

Haec de bile sola putri acrimonia inquinata, tanquam causa idonea et sufficiente cholerae. Ponatur iam haec adesse largiore praecipue copia in duodeno et ventriculo, erit sane nimium efficax, ad producendum pessimum hunc morbum etiamsi concipiatur ventriculus cum duodeno insons et vacuus ab omni cruditate, quam relinquere poterant assumta alimenta, minus bene cocta, suaeque peculiari corruptioni, in quam non rite digesta sponte vergunt, permissa, quae alioquin non minus, etiam per se, sine bilis labe, choleram inducere apta futura erat. Sed nunc quoque indagemus acre biliosum nascens ex miscela bilis et recrementorum residuorum ab alimentorum mala digestione; namque hoc inter causas cholerae singularem sui considerationem efflagitat. Scitur vero omnia quae ciborum nomine ingeruntur, si nimis

mis debili virtuti digeſtionis renitantur, ac abire in bonum chymum chylumque renuant, remanere in ventriculo et inteſtinis otioſa et cruda, ſaburramque vel nidoroſam vel acidam vel pituitoſam conſtituere, cum qua bilis ductibus eructata neceſſario congreditur, tumque acrimoniam ſui, ſed diuerſi generis adeſſe facit. Fingamus homini prae aliis alimentis fuiſſe in deliciis carnes animalium et praecipue ferarum, easdemque aſſas magis frixasque butyro quam elixas, iuſculaque ex iis gelatinoſa et conſummata, deinde piſces, porro oua, tandem embammata et condimenta ex ſemine ſinapi, raphano et aromatibus; eumque potaſſe ſimul liquida ſpirituoſa cereuiſiasque valde lupulatas. Haec omnia certe libero aëri ac humido et calido praecipue aliquamdiu expoſita, putreſcunt illico, quidni etiam putreſcerent in ventriculo debiliore, eademque mutare in humorem inquilinis in corpore aſſimilandum inepto, et quidem adhuc citius, quo calor internus corporis gradu maior eſt, calore circumfuſi aëris athmoſphaerici. Id certe ita euenire olidiſſimi quandoque ructus docent. Nata iam ſit eiusmodi ex ingeſtis ad alcali accedens cruditas, quam nidoroſam vocare ſolemus, atque ad hanc coaceruatam in digeſtionis officina accedat bilis talis qualem

lem modo depinxi, nonne tunc coëuntibus acrimoniis alcalescentibus maior reddetur vis stimuli putridi, quae vt aliis morbis ita et cholerae progignendae par habebitur. Verum nunc e contra supponamus diaetam fere ex acescentibus et actu acidis constantem, lacte et lacticiniis, farinosis, pane, vegetabilibus oleraceis, fructibus horaeis, carnibus aceto maceratis, acetanis varii generis, cereuisia tenui, vinis recentibus, aliisque fermentationi obnoxiis, atque talia non superata viribus digestionis, dum corrumpuntur sequi suum ingenium, rodentissimumque acorem contrahere, nonne ille licet e diametro contrarietur rodenti putrido, eadem prorsus potentia sollicitare et vellicare poterit fibras nerueas, ac hoc? Nil certe repugnat, cholerasque a stimulo mere acido natas inuenire facile est apud obseruatores medicos. Attamen nil quoque impedit, quo minus effusa perpetuo suis ductibus vtraque bilis ad acidum acre peccans in primis viis accedat, eidemque intime admisceatur. Quae autem tum ex hoc connubio dominans acrimonia? Sane bilis vt dictum constat oleo ex blando amarissimo sensim reddendo, quod cum sale eius facile ruit in putredinem, verumque excludit alcali, bilis ergo sua natiua dote, vt acidum impugnat, ita quoque acidum naturaliter

ter impugnat bilem. Facile perſpicitur maxime referre quo gradu emineat vtraque acrimonia, quaque copia vtraque praeſto ſit, vt determinetur an vna alteram deſtructura ſit; ſin minus, quae inter alterutram praepollentia ſit gauiſura. Pauxillum acidi facile diluitur et abſorbetur ab effuſa iugiter bile, ſed longe lateque diffuſum per ventriculum et inteſtina acidum eludit affuſam minus proportionata copia bilem, etiam ſat acrem. Hoc omne ſi bene conſideraſſent quidam Pathologi, non obliuioni dediſſent in recenſione cauſarum cholerae bilem ſolo alcaleſcente ingenio peccantem, atque in bile non perperam poſuiſſent acidum rodens, aut ex congreſſu et confermentatione bilis atque acidi natam corroſivam acrimoniam finxiſſent, quae ſi acido-corroſiua eſt, ſaltem acido ſoli, bilique ipſi imperare impari tota debetur.

§. 11.

Cum Autoribus aliis bene multis[1]), *Stablii* autem Sectatoribus praecipue Cl. *Iunckerus* cholerae cauſam antecedentem remotam ponit bilis excrementitiae copiam, antecedentem propiorem, effuſionem bilis copioſam et impetuoſam in duodenum, praecipue illo tempore quo cibi *Stablius cum aſſeclis notatur.*

1) Omnibus fere illis quibus Pathologia acida placuit vel forte adhuc placet.

cibi et potus fermentefcentes in ventriculo et inteftinis praefto funt, caufam materialem proximam et immediatam acrimoniam penetrantiffimam acido corrofiuam ex eiusmodi copiofae bilis cum cibis acefcentibus fermentatione prognatam, quae inteftina et ventriculum rodit. [2]) Addit his affertis Cl. Vir, non ad fpeculationes referendam, fed practicam effe quaeftionem: num bilis fit alcali vel acidum fique alcalicae effet indolis fruftra ei abforbentia et praecipitantia opponi contendit. Hippocratem vero propius ferire fcopum, et ὀξύτητα δριμεῖαν feu aciditatem acrem accufare affeuerat, talemque in infantibus fatis confpicuam effe monet, quando poft iracundiam nutricis excrementa biliofa tam acria et cauftica excernuntur, vt pofteriora excorient et lintea aquae fortis ad inftar difcerpant. [3]) Illuftrare porro nititur hanc acrimoniam eminentem, vt opinatur, ex concurfu fubftantiae ciborum acetofae cum tenui biliofa et fulphurea nafcentem, ex praxi oeconomica, quando acor aceti adiectis aromatibus intenditur, et braffica muriatica penetrantiorem aciditatem acquirit, admiftione feminum, pinguium et oleoforum. Pace vero eximii Viri dixerim, parum

2) Tabula de febribus biliofis.

3) Tabula citata in cautelis practicis No. 28.

parum haec omnia facere ad ſtabiliendam ipſius ſententiam, quaſi bilis ſuo concurſu acorem praeſentem adaugeat. Etenim per rerum naturam impoſſibile eſt, vt liquidum ita in alcali vergens, vt cum acido fortiore affuſo affirmante *Bagliuo* [4]) et *Hoffmanno* [5]) ebulliat, quanquam hoc negent alii; [6]) quicquid ſit, ſaltem impoſſibile eſt, vt liquidum ex ſua natura ita alcalinae corruptioni obnoxium, vt putredinem ſubire queat, vere intendat acidum. Si acido corroſiva acrimonia ex alimentis eam ſubminiſtrare aptis praeſto fuerit, vt eadem agat potenter, nunquam opus iuuamine admiſtae bilis, ſiue enim haec affunderetur ſiue minus, per ſe aget illa vt acidum, ſemperque potentius quo magis bilis abeſt, quae accedens parua copia licet et tantillula virtute, ſemper tamen potius acidum vtcunque minuet. Neque bilis poterit excitare aliquam fermentationem quia haec ſolis aceſcere aptis propria eſt. Vt quarta bili ſit vis non intendendi acidum, ſed contraria potius ant-acida nimirum, intelligatur plenius, en quae de ea concinna dictione habet Illuſtris

4) Diſſ. de experimentis circa bilem.

5) Med. Syſt. Tom. I. p. 182.

6) E. g. I. G. H. in Comment. in inſtit. Boerh. Part. III. p. 447.

Illuſtris van *Svvieten*: [7]) *Bilis*, inquit, *inter omnes humores noſtros non excrementitios acerrima eſt, et cito in putredinem prona; hinc circa hepar cadauera cito putreſcunt. Huius admiſtio nimiam ſaepe chyli aceſcentiam tollit*, [8]) *hinc cereuiſias ne nimis cito aceſcant amariſſimis plantis bilis fere aemulis lupulo abſynthio* (imo vero ipſa bile bouina) *condiunt. Vbi ergo praedominatur acidum, bilis natura quaſi inuertitur et eius efficacia iners redditur.* [9]) *Patet hoc in infantibus acido laborantibus in illorum enim ventriculo coloſtrum caleoſum lactis ſecedit, quod a bile ſoluitur, et tunc faeces aluinae flauae et aequabiles apparent, ſed vbi praedominante acido bilis iners redditur, integra fragmenta caſeoſa alba per aluum exeunt.* [10]) Addere mihi fas ſit, huic malo poſt abſorbentia acidum, non melius ſuccurri quam exhibitis iis, quae bilis dominium reſtituunt, totiesque ego pulcherrimos vidi effectus ab elixirio aperitiuo clauderi diligenter puſionibus exhibito, amarore aloës et myrrhae ſaleque tartari

7) In Comment. de morbis ſpontaneis ex acido humore aph. 63.

8) id monſtrarat quoque Bagliuus Diff. cit.

9) Vbi regnat acidum ibi inopia bilis Bagl. l. c. pag. 441.

10) De vi ant-acida bilis lege Comment. I. G. H. in inſtit. Boerh. Part. III. p. 438.

tartari bilem quaſi artificialem ſine iecinoris ope elaboratam ſuppeditante. Ita opinor clariſſime patet, quoties reiecta ſurſum et deorſum biliosa recrementa peccare viſa ſunt aciditate, toties poni acidum copioſius et potentius quam vt infringi et ſubigi poterat accedente bile, maleque tunc ipſum directe accuſari in morbis. Sed et ſimul perſpicitur liquido, ſi propter contentas duodeno quisquilias acidas, a quibus affluens bilis abeſſe nequit, et propter excreta aluo acceſſu bilis omnino tincta, ſeruandus in pathologicis terminus acrimoniae bilioſo acidae (licet acrimoniam acidum inculpaſſe ſuffeciſſet) illi acrimoniam bilioſo-alcalinam conſtanter adiungendam, et ſeorſim conſiderandam eſſe, inter cauſas choleram producentes. Vtramque et a ſe inuicem prorſus diſtinctam acrimoniam, propoſuit et deſcripſit *Hoffmannus*, licet enim in capitulo quod ſoli cholerae explicandae deſtinauit [11]) poſterioris oblitus fere fuerit, de bile per iram effuſa et cum acidis fermenteſcentibus miſta ſaltem verba faciens, tamen alio loco [12]) ſucci bilioſi copioſius effuſi acris et mordacis ſine acceſſu alius acris commemorato mentionem iniicit, huncque

11) Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 584. 585.
12) Tom. IV. Part. I. p. 346. 347.

que pro cauſa cholerae declarat. Atque olim iam optimus Praeceptor diſſertatione *de bile medicina et veneno corporis* diſertis verbis bilem dum ſtagnat et ſubſiſtit facile putreſcere ait, nilque magis aduerſum eſſe naturae noſtrae microcoſmicae, nihil magis vigorem ipſius imminuere, ac eius motus turbare et peruertere, quam quod corruptum et putridum eſt, talique bili acida remedia opponenda ſuadet, [13]) paulo poſt vero bilem habet ob admixtas heterogeneas ſtimulantesque et corroſiuas partes acrem redditam, craſinque eius ab acido corroſiuo ipſi admixto deſtructuram inculpat. [14]) Non aliter Cl. *Wedelius* diſſertatione *de bile et eius morbis* [15]) diſtinctam, proponit eius acrimoniam acidam, et alcalicam. Eadem ratione Celeb. etiam poſt fata *Schultzius* diſſertatione *de bile vitioſa foecunda morborum matre* inter alia vitia eius ſpiſſitudinem, tenuitatem, inertiam etc. acrimoniam et acidam et alcalinam refert, [16]) atque deinceps in recenſione catalogi morborum a vitiis bilis pendentium ab vtraque acrimonia choleram excitari poſſe affirmat. [17])

S. 12.

13) §. 8.
14) §. 12.
15) Cap. II.
16) §. 15.
17) §. 23.

§. 12.

Bilis varia epitheta explicantur.

Haec omnia quae elocutus ſum hactenus, ſi probe expendantur, et rite a ſe inuicem ſeiunganrur, pariunt demum iuſtum intellectum epithetorum variorum, quae bili adiecta leguntur, ab antiquioribus et recentioribus medicis. In eorum monumentis videlicet ſaepius commemoratam inuenias bilem flauam, vitellinam, praſinam, porraceam, iſatoden, aeruginoſam, atramque. Atque omnes has ſpecies communem quidem habere malitiam, ſed proprium eiusdem malitiae gradum contendit Celeb. *Iunckerus*, [1]) ſed minus recte. Eſt quippe flaua et vitellina bilis ſaepe ſine omni malitia, aut ſi malitiam induerit, non communis illa eſt cum malitia praſinae et porraceae etc. ſed prorſus diuerſa. Scilicet flauus color eſt naturalis bili cyſticae, vitellinum ſeu dilute flauum naturaliter gerit bilis hepatica, ſed praeternaturalis color bilis vtriusque eſt praſinus, ſiue porraceus, viridiuſculus nempe inſtar porri; dein iſatodes ex nigro virideſcens quo inſtruitur iſatis herba, vel glaſtum tinctoribus ſeruiens, tandem aerugineas obſcurior et ad atramenti nigredinem ſubinde accedens. Conſtat vero per experimenta a Bagliuo [2]) et aliis inſti-

O 2

1) Tab. de cholera p. 505. no. 14.
2) Diſſ. de bilis vſu et morbis.

instituta si bili admisceatur quoddam alcali, eandem vix aliquid mutationis pati in colore naturali, aut flauedinem eius saltem intensiorem reddi, et per moram temporis alicuius demum in fuscum vergere. Ita oleum tartari per deliquium bili nil noui attulit in mixtione, elapsis demum 24. horis color ad fuscum tendebat. Sal absynthii adspersum nullam in principio mutationem produxit, post 24. horas color tabaci obscurior. Spiritus C. C. mutauit colorem in flauum eleganter clarum. Talis ergo color bilis semper monstrat eius alcalescentiam vel naturalem, vel in maiori gradu praeternaturalem. E contrario autem color viridescens, viridis intense, ex nigro viridescens, et niger prorsus infallibili signo indicat acidum praedominans bili admistum esse. Noui his coloribus ab acidi miscela emergentibus quandoque ab autoribus iungi vitellinum. Facit hoc Cl. *Schultzius*, [3]) ipse quoque *Baglivus* ab aceto, spiritu nitri, spirituque vitrioli adfuso vitellinum colorem apparuisse experimentis edoctus asserit. Sed bene notandum est, nisi vitellinus statim quidpiam viridescentis habuerit, post factam mistionem breui tempore liquorem supernatantem, sedimentumque intensam viriditatem acquisiuisse, vt apud ipsum *Bagli-*

3) Diss. cit. §. 5.

Bagliuum videre eſt, qui tamen et ſtatim affuſo bili fortiori acido viridem colorem natum refert, et a ſpiritu vitrioli etiam aerugineum. Non vero hic obiter haberi debet, quod *Hoffmannus* notat,[4]) omne acidum fortius praeſertim calore admoto ebullire cum bile, viridi colore ſtatim emergente, cum igitur calor in corpore praeſto ſit, ſponte intelligitur mutationes bili ab acido accedente euenientes tanto promptius in eodem ſuccedere, adeoque colorem dictum citius emergere. Atque ſic ſufficienter euictam eſſe acrimoniam bilis duplicem alcalinam et acidam crediderim; reſtaret concurſus ipſius bilis cum cruditatibus pituitoſis et viſcidis, in primis viis coaceruatis, quando vero exinde nullum acre ſtimulans, ſed ſi illae abundent bilis potius inertia et inuiſcatio exoritur, nullaque adeo cauſa cholerae, ille ad praeſentem tractationem haud ſpectat.

§. 13.

Choleram etiam inducunt draſtica purgantia et emetica.

Haberem quae fuſius eloquerer de metaſtaſi choleram aliquando inducente, quando nimirum vel morbidus fomes in viſcere quodam latitans, vel in omni humorum oceano oberrans, in ventriculum et duodenum deponitur, atque ibidem vellicante ſua acrimonia hunc morbum

4) Med. Syſt. Tom. I. p. 182.

bum ingenerat. Ita nempe *Syluius* ex ſuppurato pancreate ſuas domeſticas ſordes vicino duodeno communicante *Ridlinus* ex fonticulo antea humorum quisquilias acres recipiente, poſt ſui occluſionem autem in Oceanum liquidorum retrudente, ex quo in duodeni caueam ablegatae fuerant, choleras notarunt. Nolo vero huic argumento diu immorari, progredior potius viſis vitiis humorum inquilinorum corporis iubente ordine ad remedia draſtica interdum inſtar veneni agentia, et venena ipſa. Nimis certe abundat exemplis triuialis et tumultuaria medicina, totoque die videas homines, qui arreptum proprio ductu vel illotis manibus acceptum validum euacuans deglutiunt incurii, tumque vel per vomitum vel per aluum vel vtraque via ſtrenue inter ſumma ventris tormina atque adeo ingenti copia reiiciunt liquida, vt non ſaltem vires exhauriantur ad lipothymias vsque, ſed et ab irritatione rudi neruoſae compagis, ſimulque ab inanitione ſubitanea conuulſiones ingruant. Communis haec methodus tonſorum, balneatorum ac medicaſtrorum circumforaneorum eſt, quando a deceptione cauere ſibi nequeunti plebeculae, vt ſanari ſe valido remedio ſentiat, draſtica emetica et purgantia exhibent, ſimultaneamque hyperemeſin et hypercatharſin,

tharſin, adeoque morbum cholerae valde affinem aut ſi mauis choleram ipſam eandemque artificialem inducunt, medicatione ab artis intemeratae regulis legibusque omnino valde remota. Non igitur difficile fuerit obſeruationi, quam de cholera ex ſuperpurgatione puluere valido a tonſore exhibito prognata conſignavit *Riuerius* [1]) magno numero inuenire parallelas, cui temerarios auſus hominum a ſacris Hygeae alienorum diligentius annotare placuerit. Nondum nempe dedidicere hi morborum artifices vſum radicis cyclaminis, laureolae, ſeminis ricini granorum tilli, gratiolae, colocynthidis, eſulae, tithymali gummi guttae, euphorbii etc. ſed potius ex eiusmodi apparatu arcana ſua parant, quae familiariter adhibere conſueſcunt, cum tamen ex eodem prouido conſilio rarius, ſaltemque forte pro hydropicorum curatione vnum vel alterum depromere ſoleant rerum periti. Vix etiam hi ſua faciunt chemica quaedam praeparata, aurum fulminans, turpethum minerale, et alia, ſed cum ipſo adeo mercurio dulci caute mercari docti, eadem relinquunt facile ſemi-doctis illis, qui potentius graſſari in vitam et ſanitatem humanam cupiunt. Rarius etiam ſagaciores medentum confugiunt ad tartarum emeti-

 cum,

1) Cent. II. obſ. 19.

cum, vina emetica, oxyſacharum, ſyrupos emeticos, plurimisque in caſibus talia cum bonis aegrorum rebus fere negligunt, ne nomen ipſorum illum catalogum medicorum ingrediatur, quos ſubinde inter morborum cauſas proh pudor! referendos eſſe, peculiari ſchediaſmate monſtrauit *Hoffmannus*. Ad vſitatiora purgantia, et ſi blandiſſimis res omnis haud committenda ſit, ſecure etiam adhibenda refertur equidem lalappa, ſcammoneum, et helleborus niger, cuius fibrae quotidie vinis medicatis adduntur: choleram interim ex vſu hellebori vino infuſi notauit *Foreſtus* [2]) atque priſco iam tempore *Galenus* commentatus in aphoriſmum *Hippocratis conuulſio ex helleboro lethale* ſimile malum ab eodem eueniſſe animaduertit, quanquam hic albus magis quam niger accuſari debere videatur. Sunt omnino qui haec aluum mouentia pharmaca bene ferunt, ſunt quoque medici periti qui ad largiores horum doſes praeſcribendas faciles habentur; at vero ſunt etiam corpuſcula debilia, delicatula, ſenſibilia et irritabilia quae ipſis mirum quantum mouentur non ſine maximo valetudinis diſpendio. Igitur ſi merito fortiora purgantia adeo male audiuere Illuſtri *Hoffmanno*, vt ea prorſus proſcribenda eſſe e medi-

2) Lib. 18. obſ. 44.

medicina iudicauerit; ſique non ſine ratione illius veſtigia premens validioribus catarcticis virulentam indolem peculiari ſcripto attribuerit Cl. *Duttelius*; ſique nihilominus reſinoſa quaedam mitioris ingenii ſeruari debent in praxi, ſaltem tenerioris ſtructurae hominibus haec circumſpecte exhibenda ſunt, memini quippe non raro a jalappae puluere, a reſina eius amygdalis quamuis et vitello oui ſubacta, a puluere cornachino mediocribusque omnium horum doſibus, in iis adeo ex quorum habitu externo firmiorem inteſtinorum fabricam collegiſſent medici omnes, vomitiones et deiectiones numeroſas cum cardialgicis et colicis doloribus, temporariamque choleram fuiſſe excluſam. Magnum inde emergit generi humano beneficium quod monitore praecipuo laudatiſſimo *Hoffmanno* fere in deſuetudinem abierit, aut rarius ſaltem iam in vſum vocetur ab ignaris, vulgaris olim mos homini poſt praegreſſum iracundiae affectum propinandi vomitorium vel purgans, ad bilem commotam ſi diis placet, mature expellendam. Namque quando ira ſola cholerae ciendae ſufficit, eadem vero potentia etiam ineſt euacuanti validiori, nil mirum ab eiusmodi errore tanto maiori impetu ſurſum et deorſum humores exturbari, phlogoſinque ventriculo et in-

 te[illegible]inis

teſtinis inferri, ac morbum hunc eousque increſcere, vt non niſi cum vita aegri quandoque terminetur.

§. 14.

Et venena. Quid vero iam de illis corporibus naturalibus dicam, quae non quandoque ſaltem, et in quibusdam hominibus vt draſtica purgantia et emetica, virulentiam ſuam exerunt, ſed omni tempore et ſine exceptione omnibus ſubiectis venena habentur, illis certe in cholera excitanda primus, ſed quam maxime infamis debebitur locus. Sponte autem innoteſcit, cum omnis cauſa cholerae ſit ſtimulans, inter venena huc ſaltem ſpectare acria et corroſiua, interque ea praecipue mercurium ſublimatum et arſenicum. Superſedeo labori illi lubens vt colligam ex Auctoribus eiusmodi paſſionum cholericarum horrenda ſpecimina, ſolae, (ſi tot aliae non haberentur, apud illos qui Medicinam legalem tradidere, caſibusque illuſtrauere), hic loci ſufficiunt relationes, quae tractationi de cholera ſubiunxit *Hoffmannus*, neque alias compilare intereſt. In genere vero mea quidem ſententia nimii haud ſunt illi Pathologi, qui conſiderantes choleram morbum adeo cito ſaepe deleterium, etiamſi a veneno ſtricte ſic dicto haud pendeat, omne acre cholericum ob ſummam actiuitatem et pro-

proceps periculum quod infert, venenosi ac quasi arseniculis ingenii esse asseuerant. Huiusque sane asserti veritas facillimo opinor negotio potest comprobari, atque proinde rectissime scripsit Cl. Christianus *Vaterus* [1]), non acuendum esse ferrum, neque venena per artem paranda, nasci enim talia in ipsis visceribus nostris quae robustissimos, et in flore aetatis constitutos, subito vita priuent, exemplo passionis cholericae. Decumbant scilicet in eodem conclaui duo homines illis symptomatibus adfecti, quae cholerica passione laborantibus accidere consuescunt. Patiatur eadem vnus a dato arsenico, alter ab ira progressa, et bile commota, acrique et putrida reddita. Ingrediatur hoc conclaue medicus artis suae peritissimus, audiat a collega quodam, qui antea inquisiuit sedulo omnes circumstantias, felixque causas diuersas iam detexit, vnum ab hac, alterum ab illa causa aegrotare. Callidissimum illum magnumque Apollinem ego sum habiturus, si visis in ambobus symptomatibus truculentis ad amussim sibi inuicem respondentibus, certo determinare ausus fuerit, quis eorum a veneno externe illato, quis ab interno laboret. Sane nisi vere constet venenum exhibitum esse, sola veneni dati suspicio

1) In introitu diss. de cholerica passione.

ſuſpicio, notaeque illam mouentes hic loci nil lucis affundere videntur. Subitanea virium proſtratio euenire poteſt in cholera ſine veneno; nauſea et frequentes vomitiones ab vtraque cauſa fere pares; bilioſae ab vtraque; ſemper euomitur bilis ſtimulo perdurante, ſi contenta ventriculo ſunt expulſa, frequentia et atrocia vomitionum adeo poteſt eſſe vrgentior, ſi bilis acris maiori copia peccet, et arſenici dati doſis fuerit mediocris. Dolores eorumque gradus metiri difficile et impoſſibile. Sint magis rabidi ab arſenico quam a bile, quis aegris ambobus ſimul eiulantibus in vno maiores diſtinguet a gradu minoribus alterius, poteritque forte qui hos patitur, ſi minus patiens fuerit natura acerbiores effundere querelas, quam qui illis affligitur. Nihil ergo video diſcrepantiae ipſiusque mortis inſtantis ſigna anxietas horrenda, pallor vultus, artum glacies, ſudores frigidi, pulſus paruus contractus intermittens, conuulſiones, lipothymiae, ſingultus, erunt eadem; atque aeque cito mortem experiri poterit aeger a veneno inquilino bile, quam a veneno arſenicali extus illato. Si vtrorumque cadauera ſecentur, erit facies ventriculi et inteſtinorum eadem prorſus, gangraenoſa; ſaltem in vno deprehendetur puluis albus arſenicum prunis impoſitum alliaceo foetore

ſeſe

ſeſe oſtenſurum, in altero bile tincta deprehendentur inteſtina, amurcamque flauam, atram, viſcidam, acrem non minus vere venenoſam continebunt. Si in vtrisque morbus ſanabilis egoque aduocarer ocyus, auderem adeo polliceri aegro qui hauſiſſet arſenicum aeque citam vel et citiorem medelam, dato oleo et lacte per ſuperius et inferius guttur, quam illi qui a cauſa bilioſa aegrotaret. Memini horribilem choleram ab arſenico intra quatuor horas curatam, facilemque et extemporaneam talem medelam multis aegris fructuoſam habet *Hoffmannus* [2]). Si vero bilis copioſa et acris picea tenacitate adhaereret inteſtinis, valuularumque latibulis innidularetur, atque ita perpetuo lancinaret irritaretque fibrillas neruęas, neque ſtatim abſtergi et eliminari poſſet, diuturniorem omnino curationem haec flagitatura eſſet. Velim hic loci cum cura expendantur ea, quae habet Cl. *Degnerus* tractatu de dyſenteria bilioſa affectu Cholerae agnato. Symptomatibus morbi ſui recenſitis, quae fere eadem eſſe dicit ac Cholericorum. *Haec omnia*, inquit, *ſi coniunctim ſumamus, et ſimul ponderemus quam ſubito et intra quam paucos ſaepe 3. 4. dies ea omnia eueniant, non*

2) Med. Syſt. Tom. IV. part. I. cap. de inflamm. Ventriculi.

non vana nobis nascitur suspicio, tales homines veneno aliquo necatos esse, omnes enim veneni effectus hic adsunt, quibus fit vt corpus citissime funesto modo mutetur, corrumpatur et mortificetur [3]. *Id affirmabunt omnes qui tractarunt homines arsenico necatos. Notus est mihi vir, qui grassante dysenteria obiit memoratis symptomatibus, cumque eum vxor perpetuo odio prosecuta fuerit, et iurgiis exceperit, pro certo asseuerari nequit, an morbo dysenterico an veneno dato perierit cum ambo venena dysentericum et arsenicale similem edant effectum* [4]. *Si omnium venenorum effectus examinemus, nullum mihi notum est, ad quod modo dicti effectus et symptomata in corpore humano propius accedant, quam illud quod arsenicum appellamus, ab eo enim assumto omnia ad amussim eueniunt, quae in dysentericis deprehenduntur, aeque breui tempore etiam venenum dysentericum et arsenicum corpus destruit* [5]. *Ab horum effectuum similitudine non inepte cum Hermeticis locuturus, statuo acre venenosum dysentericum arsenicalis naturae esse* [6], *sedes vero veneni huiusque animalis est bilis* [7]. Atque antiquis-

3) §. 54.
4) §. 55.
5) §. 57.
6) §. 58.
7) §. 61.

tiquissimo iam tempore inter Graecos *Aetius* id quod in hoc morbo cholerico alienum corpori est tanquam venenum insideno intestina rodere pronunciauit [8]). Illos vero recentioresque sequens Nicol. *Piso* dudum ante *Degnerum* scripsit. *Cholerae causa est bilis, quae in suo folliculo vel in iecore vel circum intestina stomachumque cumulatur, cumque supra modum aucta naturae grauis esse coeperit, huc illuc impellitur, vt ea perculsi toxicum se bibisse putent.* [9]). Neque minus Cl. *Bohnius* [10]), adeo ex inspectione cadauerum determinatu valde difficile professus, an ex veneno hausto, an a malignitate intrinseca quis mortuus fuerit, cum symptomata externorum et intus genitorum venenorum sibi inuicem sint communia, in huius rei fidem motus humorum vitiosos et impetuosiores apud aegros cholericos obseruandos allegat, quos *Fernelio* teste ac si toxicum illi bibissent inualescere, primasque vias, organa vitalia et totum corpus ad interitum usque exagitare ait, atque simul ad horrendas Cholericorum historias prouocat a Hippocrate V. epid. t. 4. et 10. recensi-

8) Tetr. III. Serm. I. cap. 12.

9) De cognoscendis et curandis morbis lib. III. c. 13.

10) De officio medici duplici Part. II. c. 6.

censitas, de quarum posteriore Valesius pronunciarat, magnum inde exemplum elucescere venenorum, quae in nostris corporibus generari solent. Nolo hic loci omittere *Borrichium* [11]) symptomata cuiusdam Iuuenis enarrantem eousque atrocia, ac si a veneno assumto profecta essent cum tamen saltem bilem acerrimam causam haberent, quam non raro ita infestare ventriculum scribit, ac si venenum assumtum esset. Atque qui de bile medicina et veneno corporis dissertatione peculiari egit *Hoffmannus* choleram habet falso a veneno deriuatam atque non nisi a bile acerrima et caustica producta [12]), ibidemque verba notabilia Reyes adducit. *Quid ergo* inquientis *similius inueniri poterit aliis symptomatibus, quae de veneno intoxicato describuntur siquidem ea in cholera morbo a bile orto fere omnia obseruaui* [13]). Meretur quoque legi de bile venenum aemulante Iurisprudentia medica Cl. *Alberti* [14]).

§. 15.

Sedes cholerae. De vera sede causae proximae choleram excludentis, morbis adeo ipsius subiecto,

11) Act. Med. Haffn. Tom. III. obs. 36.
12) Med. Syst. Tom. IV. part. III. p. 598.
13) In camp. elys. iucund. quaest. quaest. 64. p. 856.
14) Part. II. p. 189.

iecto, non vna eademque Pathologis est sententia. Verum nonnulli re ipsa confundunt loca causam irritantem suppeditantia, et alii iterum loca excretionibus materiem praebentia, cum ipso loco cui acre irritans inhaeret, cuique antea absolute inhaerere debet, vt morbus possit enasci, quem qui determinare rite vt decebat satagunt, iterum varium sibi fingunt. Peccant opinor hepar cum folliculo felleo, et pancreas cum suo ductu allegantes *Syluius*, *Ethmullerus*, *Glissonius*, *Bianchi*. Peccant quoque qui in toto corpore vitium ponunt et massam humorum omnium inculpant. Neque mea sententia bene se gerunt qui cum *Galeno*, *Aretaeo*, *Helmontio*, et aliis vel ventriculum solum, vel bina orificia vel vnum eorum, praecipue pylorum, vel excluso ventriculo duodenum cum parte ieiuni, pro circumscripta quasi suis limitibus regione habent, in qua tyrannidem suam aegritudo exerceat. Neque tandem bene se gerit otiosa nil certi asserere audentium fluctuatio, cui forte occasionem dedisse potuit. *Celsus* [1]) morbum hic inter intestina stomachumque versari asserens, ita vt cuius potissimum partis sit, non facile dici queat. Si omnia phoenomena expendantur, quam accuratissime,

1) Lib. III. cap. XI.

tiſſime, cholera certe morbus deprehenditur et ventriculi, et duodeni, cauſas nimirum omnes antecedentes quae acrimoniam irritantem pariunt examinando, hanc poſtquam in ventriculo cumulata eſt, vel in duodenum depoſita demum proxime in haec viſcera agere ſuo ſtimulo, conuincimur. Neque refert an bipartitum ſit in duodeno et ventriculo acrimoniae huius imperium, an illa quam maxime reſident in ventriculo ſolo, an tenax adhaeſerit pyloro, an inniduletur flexurae duodeni, cum irritatum duodenum ventriculus ſuccenturiatus facile ipſum ventriculum, irritatus ventriculus facile duodenum in conſenſum trahat, vniusque conuulſiuo motu ſopito, alterius etiam ſtricturae et tenſiones ceſſent. Animaduertentibus ſuperne et inferne excreta perpetuo bilem educere, ſiue ſolam, ſiue cum aliis impuritatibus remixtam, videbuntur omnino addi debere ductus biliferi cyſticus et choledochus, irritabiles admodum, et dum morbus praeſto eſt certiſſime ſimul cum ventriculo et inteſtinis conuulſi; at quia eſſentiam morbi conſtituit vomitio et diarrhoea, neutra vero nuda irritatione et conuulſione ductuum horum excitatur, licet haec cauſam irritantem ventriculo et duodeno ſaepe inferat, perſpicue apparet, in proprios vtrique villos nerueos

agere

agere illam debere, vel minimum irritationem ductuum biliferorum propagari debere ad ventriculum et inteſtinum vt emergant phoenomena quibus praeſentibus adeſſe dicitur cholera. Me certe triſtis ſenſatio abunde docuit, partem primario affectam fuiſſe duodenum, cauſamque rabioſam ibi hoſpitantem, ſeditione quaſi vicinorum mota, et ſuperiores tumultus in ventriculo excitaſſe, et deorſum extenſum reliquorum inteſtinorum tenuium tubum ad inquiem et turbas ſollicitaſſe. Praeter doloroſas afflictiones enim, quae ſub cordis ſcrobiculo verſus vmbilicum excurrentia experiebar, non immunis eram ab illis quae in aegro ſuo cuius morbum enarrat olim notauit Illuſtris noſter de *Helwich* [2]), *Tametſi vero* inquiens *ſtomachus et inteſtina mire torquerentur, immanior tamen cruciatus praenuncians inſtantes vomitus, et ſedes, ab aegro ſentiebatur in regione lumbari dextra, vbi inteſtini duodeni ſitus, idque documento eſt illud praecipuam huius mali ſedem eſſe.*

§. 16.

Profuſiſſimarum excretionum Atiologia.

Mirum videtur nonnullis ſolis vomitionibus et deiectionibus tam enormem, et niſi oculis vſurparetur, incredibilem pene

2) Hiſt. morb. Vratisl. 1702.

pene liquidorum vim ex corpore educi, vt breui quandoque duarum vel trium dierum ſpatio, deperdito ex vaſis omnium generum vitae commeatu, ſucculentiſſimus antea homo ſubito flacceſcat, atque extenuatus, exſuccus, marcidus, vixque oſſibus haerens conſpiciatur. Illi autem quos hoc phoenomenon moratur, non bene intelligunt actionem ſtimuli, hac enim rite expenſa, ſimulque fabrica omnium partium in quas illa extenditur probe conſiderata, omne negotium facile explicatur. Ditiſſimus neruis cum ventriculo omnis inteſtinorum tubus ſumma pollet ſenſibilitate, exquiſitimoque ſuarum membranarum conſenſu, quare irritatione leuiſſima accedente ſtatim ſtringuntur et conuelluntur villi illi, quibus immediate inſidet cauſa irritans; non autem in iis ſubſiſtit ſtrictura et conuulſio, ſed longe lateque ſurſum deorſumque idem motus innumerabilibus aliis villis inducitur, adeo quidem, vt ab affecto ſenſim toto viſcere ventriculi et inteſtinorum, ad omnia viſcera reliqua abdominis propagetur. Primus itaque praeternaturalis Periſtalſeos deorſum magis intenſae, ſurſumque inuerſae effectus eſt excuſſio violenta omnium cauo ventriculi et inteſtinorum contentorum; cumque etiam ſecundum naturam diuerſi humores hinc in id cauum confluant,

atque

atque in eodem ſuarumque valuularum latibulis ingens ſarcina recrementorum ex ingeſtis natorum ſtabulari queat., non mediocris concipi poteſt materies excretionibus per ſuperiora et inferiora ſubſequentibus ſeruiens. Haec vero domeſtica exiſtens, etiamſi prorſus eiecta fuerit, non proinde profuſionibus finem facit, aliunde quippe iugiter noua aduehitur, namque lege perpetua in corpore noſtro ſtabilita, ad illam partem concitatur largior humorum affluxus, in qua viget et perdurat irritatio, quae ſi ponatur circa ventriculum et duodenum, aderunt numeroſa oſtia, per quae ex diuerſis fontibus allecta et adducta fluida magna copia in caueas illorum viſcerum deponantur. Perdurantes ſcilicet conſtrictiones et conuulſiones ventriculi et inteſtinorum ductum choledochum cyſticum et wirſungianum ſimul ſollicitantes et concutientes emungunt exprimuntque omnem bilis et ſucci pancreatici apparatum, qui in hepate veſicula et pancreate ſecretus praeſto eſt, ipſaque expreſſione largiorem illius ſecretionem proritant, ſicque prouentum perpetuum aduocant, qui vanitionibus et deiectionibus queat eiici, dum ſimul ipſa concuſſio violenta abdominis quae ſub his excretionibus accidit commeatum adfluentem inuitat atque adauget. Patent vero praeter hos ſolemnes

grandioresue canales per totam interiorem ventriculi et inteſtinorum ſuperficiem minutuli equidem, ſed innumerabiles prorſus tubuli lympham tenuiſſimam plorantes, qui ſe ad eructandam, ipſam rudius inſtigentur immenſam eius copiam ſuppeditant. De porulis cruſtae villoſae loquor, arteriolarum exhalantium finibus, ceram myſitianam exuto rubro colore quandoque transmittentibus. Ex his naturaliter exudat laeuis ille et blandus humor lubricationi internae et inunctioni ventriculi inteſtinorumque ſecundum naturam deſtinatus, cum muco a glandulis copioſiſſimis ſecreto, materiem ſuggerentibus a tergo locatae vaſculoſae tunicae arteriolis. Sed arteriolae vaſculoſae tunicae ventriculi propagines ſunt arteriarum gaſtricarum ex coeliaca emergentium; vaſculoſae vero tunicae inteſtinorum arteriolae ſunt capillares arteriarum meſentericarum ſuperioris et inferioris. Patet ergo per poculos cruſtae villoſae ſi huius villi irritentur, effluere poſſe allecta liquida tenuiora omnia, quae per ſyſtema arteriae coeliacae et arteriarum meſentericarum feruntur; hocque citius euacuato quam aliae vicinae grandiores arteriae euacuantur, maximam partem ſanguinis ex corde ſiniſtro in aortam pulſi eo magis determinari, aliasque arterias parcius impleri. Igitur tandem conſequitur, per-

perdurante excretione per ventriculum et inteſtina omnia fere omnium ſyſtematum arterioſorum liquida per has vias emulgeri et effundi poſſe, venis demum vix accipientibus quod cor verſus reducant. Quam belle eapropter licet omnis huius aetiologiae quam expoſui hactenus prorſus ignarus *Aetius* nihilominus pronunciauit, venenum inteſtina et ventriculum rodens humores ex vniuerſo corpore attrahere [1]). Atque in his rectius omnino ſeſe geſſit, quam recentiores quidam Pathologi, qui videntes eminentem adeo fluidorum iacturam, quam omnia vaſa totius corporis ad inanitionem vsque patiuntur, in eam abierunt ſententiam, in omni ſanguinis oceano latitare aliquem fomitem qui in inteſtina deponatur ſenſim, ibidemque rodente ſua indole excretiones proritet. Ita praeterrem Cl. *Sennertus* nonnunquam ex toto Corpore et ex venis omnibus bilioſum et flauum humorem in ventriculum confluere perhibet [2]). Ita ſine ratione *Williſius* qui humorem peccantem neutiquam eſſe bilem vel ſuccum pancreaticum vel alium intra ductus inteſtinales genitum contendit, ſuccum neruoſum et nutritium in craſi vitiatum in maſſam ſanguineam redundare et deinde ex ea verſus

P 4 ſtoma-

1) Tetr. III. Serm. I. c. 12.
2) Med. Pract. lib. III. Part. I. ſect. II. c. 13. p. 161.

ſtomachum et inteſtina per vaſa coeliaca transferri autumat [3]). Longe elegantius autem noſter olim Illuſtr. de *Helwich* ſi eum bene intelligo, cum tanta ſaepe vtraque via in Cholera expurgetur humorum copia vt incredibile ſit eam omnem in primis viis haeſiſſe, ſuſpicionem naſci ait, ex maſſa ſanguinea non minimam ſentinae huius partem per arterias ad ventriculum et inteſtina defluere [4]). Atque omnino ita ſe res habet, ſemper vero diſtingui debet inter excretionum cauſam, et excretionum materiem; cauſtica quippe et venenoſa eiusmodi acrimonia, quae cauſam praebet cholerae, non bene concipitur latitans in ipſo ſanguine, neque vaſorum ac vaſculorum tenellulorum fabrica eam ferret ſine praeſentaneo hominis exitio, ſique adeſſet vere aliis omnino notis ſeſe deberet manifeſtare vtpote delicatula pulmonalia vaſcula pulpamque vaſculoſam cerebri celerrime eroſura. Rectiſſime, ea propter *Pitcarnius* fermentum intra vaſa bilem et ſuccum pancreaticum copioſius ſecerni faciens et inquinans reiicit, idque in ventriculo potius ex aſſumtis aceſcentibus et putreſcentibus generari, haerensque ibi nocere ac ſtimulando fibras exprimere liquida aſſeuerat, quae parua copia bilis

3) Pharnaceut. Rat. Sect. III. c. 3.
4) Hiſt. Morb. Vratisl. 1702. p. 123.

bilis infecta efficiant vt omnia reiecta amarulenta sapore praedita biliosa videantur [5]).

§. 17.

Febris Cholerica.

Operae pretium his omnibus excussis, nunc est, peculiari studio febris mentionem iniicere, quae symptomatum comitatui quo stipata incedit cholera, iungi solet; cum et in hoc morbo, vt in aliis multum omnino referat, an febris ipsi adsit, an minus. Nil vero mihi negotii hic est cum cholera, quae vt symptoma febri qualicunque, morbo principi complicatur, quam licet mali moris plerumque, tamen etiam quandoque criticam esse posse, *Hippocrates* [1]) et *Galenus* [2]) annotauit. Neque mihi res est cum febribus choleram mentientibus, quales de protei formi febris intermittentis genio agens describit *Mortonus* [3]), quae stato tempore vomitionibus et deiectionibus dolorosis ingruebant, cortici vero peruuiano cum laudano remisto, vt obseruationes adiectae docent, obedientiam praestabant. De febre quae cholerae symptoma est, saltem vt agam, institu-

 tum

5) Element. Med. lib. II. c. 18.
1) In coacis praenotionibus.
2) Meth. Med. VII. c. II.
3) Tom. II. Exercit. I. cap. IX. p. 108. 118. 119. 120. 143.

tum meum ſibi depoſcit, ad quam obſeruandam non omnes ſatis attenti fuiſſe videntur, dum eam vel fere nunquam adeſſe, vel ſemper adeſſe perperam contendunt nonnulli. Mirum eſt, qui *Boerhaauii* iudicio lectam ex priſcis et ſua etiam etate recentioribus ſcriptoribus libro *de cognoſcendis et curandis morbis* materiem exhibet, *Piſonem*, choleram dicere affectum acutum, ſed fere ſine febre [4]). Patet ergo ſatis multos veterum et *Piſonis* aetati propiorum ſcriptorum febris ita oblitos fuiſſe, ac ſi raro aut nunquam ſeſe apud laborantes cholera manifeſtaret. Eam inter alios *Foreſtum* tanquam plerumque praeſentem conſiderare, inde colligi debet, quod quandoque ſaltem abeſſe in cholera febrem is edicat [5]). Morbum hunc cum rigore coepiſſe refert *Williſius* [6]), quis vero Lectorum hic non cogitaret de febre, ſed rigori illi neutiquam ſucceſſiſſe calorem et aeſtum ait, quia ſanguis ſucci alterius inuadentis diluuio pene obrutus ſe recolligere et emergere nequibat, vt febriliter efferueſceret. Longe vero aliter ſentiens Ciuis Williſii Cl. *Syndenhamus*

4) De cognoſcendis et curandis morbis cap de cholera.

5) Obſ. Lib. XVIII. p. 189.

6) Loco cit.

nus [7]), inter ſymptomata quae deſcribit, diſertis verbis pulſum celerem ac frequentem, cum aeſtu et anxietate non raro etiam paruum et inaequalem recenſet, cui ſuffragatus cum *Sennerto* [8]) *Ettmullerus* [9]), dum hiſtoriam cholerae tradit, namque utrique pulſum celerem et frequentem non omittunt. Ita quoque *Lentilius* [10]) Cylindri cholera aegrotantis pulſum celerem et debilem fuiſſe notat. *Stahlius* et eius ſectatores communi inter ſe conſenſu omnes, adeo ipſi febrium catalogo addunt choleram, atque quoties febres bilioſas habent, febri ardenti ſeu cauſo febrem cholericam ſemper ad latus ponunt, praeſumque ſuum febrilem et celerem et frequentem conſtanter ipſi tribuunt. Inter eos eleganter animaduertit Cl. *Iunckerus* [11]), ſcriptores medii aeui et proximorum ſeculorum aſſerere choleram morbum ſine febre fieri, et tamen aegrum ſubito perimi. Sed illos non obſeruaſſe inquit, quod talis cholera horridis frigoribus aegros exagitet, cum grauiſſis angoribus, vt aeſtui (a quo eminenter febrem ſolent nominare) non detur

7) Operum p. 216.
8) Med. Practicae lib. III. Part. I. Sect. II. c. 13. p. 162.
9) Cap. de cholera.
10) Eteodr. p. 244.
11) Conſp. Med. Tab. LXI. p. 505.

detur locus, et illa congeſtio ad interiora interea inflammationem inducat. Neque minus qui aliter toties a Collega ſuo diſſenſit Illuſtr. *Hoffmannus* cholericam febrem ardenti etiam iunctam habet, diſtinguens eam in acutiſſimam, et minus acutam, remittentem vel intermittentem, ac quotidianae tertianaeque continuae typum ſeruantem [12]). Adfert quoque quemadmodum iam laudatus *Mortonus*, hic non omittendus *Riuerius* [13]), exemplum talis febris cortice perſanatae [14]). Forſan autem in minus acuta tali febre cholera interdum ſaltem eſt ſymptoma, non morbus; cum in cholera acutiſſima febris acutiſſima ſit ſymptoma, atque intermittens et periodica cholera, laruata haberi debeat febris intermittens. Verum quod valde mirum, alio loco vbi choleram iterum et ſeorſim dataque opera pertractat *Hoffmannus* et truculenta omnia ſymptomata accuratiſſime recenſet, nullam prorſus mentionem febris iniicit [15]). Inter recentiores ſcriptores quoque *Teichmeyerus* Febrem interdum choleram praecedere, interdum ſubſequi funeſtamque haberi choleram memorat, quae

12) Med. Syſt. Tom. IV. part. I. p. 369.
13) Operum p. 508.
14) Med. Syſt. Tom. IV. Part. I. p. 369.
15) Tom. IV. Part. III. cap. de cholera.

quae in principio febrium acutarum contingat [16]). Ego quidem ſatis expertus fui arctum et infauſtum cholerae cum febre connubium, dumque morbi huius ingenium propria et periculoſa valde experientia plenius edidici, ac ex alienis aegrorum meorum corporibus noueram antea, atque ſcripturus de hoc argumento id diligenter meditatus ſum, non bene capio, quomodo febris abeſſe ab hoc morbo queat, maxime ſi is paulo grauior fuerit. Ad generales cauſas febrium poſt obſtructionem capillarium acre irritans refert omnis moderna Mechanicorum theoria, vbicunque illud in corpore haeſerit, totiesque longe benignius acre quam cholericum eſt, acutas et funeſtas febres proritat, quidni hoc quod toxico ſimile habetur, febrem produceret. Praeterea ſi ſtimulus leuior etiam, ſed diutius perdurans, atque praecipue inſidens parti neruoſae febrem excludit, quomodo illa abeſſe poſſet, ſenſibiliſſimis membranis neruoſis ventriculi et inteſtinorum acerrimo ſtimulo inſidente, vix apparet. Accedens poſtea validiſſima concuſſio quam experitur totum corpus, conuulſo ventriculo iuuare omnino debet celeriorem in orbem progreſſum ſanguinis per vaſa omnia, ſicque ipſam febrem intendere. Nonne

16) Diſſ. de cholera §. 23.

Nonne vero tandem nata in cholera grauiore ſtaſis humorum in apicibus arterioſis, partium primario affectarum, et exinde ſequens inflammatoria diatheſis et inflammatio ipſa neceſſario febrem inuoluit? quae glacie externum corporis habitum perfundente, in interioribus quorum incendium acute ſentit aeger, tanto fortius ardet. Auſim itaque contra omnes ſecus ſentientes aſſerere, in omni cholera cuius irritans cauſa non mature tota ipſis morboſis motibus excutitur, et ex corpore eliminatur, febrem neceſſario accedere, quoque illa grauior fuerit, aut pertinacius inhaeſerit, eo grauiorem hanc et periculoſiorem reddi. Id quidem per mechanicas et phyſicas neceſſitates ita euenit, ita quidem vt ſibi ipſis contradicere quandoque debuerint, qui choleram ſine febre eſſe perhibuerunt, alio tempore veriora edicere rerum vſu coacti. Valde certē memorabile eſt *Piſonem* ipſum qui choleram affectum acutum dixerat fere ſine febre, dum ſigna dein eloquitur et decurſum morbi, vltro pulſum celerem et frequentem diſertis verbis commemorare [17]).

§. 18.

17) De cognoſcendis et curandis morbis lib. III. c. 13. p. 72.

§. 18.

Cholera aestiua altioris est indaginis, speciebus huius morbi reliquis.

Superest momentum aliquod cholenam concernens, mea sententia commemoratu dignissimum, et in praxi sane necessarium valde, et vtilissimum obseruatu, quod tamen inculcatum quod sciam nemine Auctorum fere solus cum cura nnotauit cordatus *Sydenhamus.* Scilicet variis causis omni anni tempore accidere potest cholera, sed si a venenis excitatam excipias, nulla seorsim magis expendi debet, segregarique a speciebus liis, quam quae inuadit aestiuo tempore, et praecipue mense Augusto. Scripserat iam *Hippocrates* Coris in aestatem praecipue incidere choleram [1]) suam vero obseruationem accuratius explicatus recentioris aeui *Hippocrates* Londinensis, *qui ab ingluuie*, inquit, *ac crapula nullo temporis discrimine passim excitatur affectus, ratione symptomatum non absimilis, nec eandem curationis methodum respuens, tamen alterius est subsellii. Quisquis nempe cholerae morbi legitimi phoenomena studiose collegerit, fatebitur morbum istum qui quouis alio anni tempore inuadit, quamuis ex eadem occasione prognatum, atque eorundem symptomatum nonnullis stipatum ab hoc nostro toto coelo distare.* [2]) An idem hoc introspexit

1) Popul. VII. no. 40.
2) Sect. IV. c. 2.

xit forte *Trallianus? Si malum*, inquiens, *a cibis ob copiam corruptis, proprie choleram non nominant?* [3]) non audeo asserere. Quicquid sit, id saltem certum est, hunc morbum de quo data opera agit *Sydenham* choleram *legitimam* ipsi dictam, vel *aestiuam* recte dicendam summe sonticum esse mali genus, cum interea ex obseruatione *Pisonis*, [4]) celerrime ad statum naturalem reuertantur aegri, si ob copiam ciborum fuerit oborta cholera, quanquam huius modi affectus etiam ad eius mentem Trallianae sententiae sine dubio accommodatam, proprie cholera haud nominetur. Minus esse periculi si ab assumtorum vitio aegritudo pendeat *Riuerius* quoque auctor est, [5]) idem inculcant alii. Valde autem mihi videtur verosimile, aestiuam et imminente autumno affligere solitam choleram primarium ortum suum debere bili, caloribus aëris athmosphaerici copiosius generatae, commotaeque et effusae copiosius in duodenum, per suas causas, ac ibidem acrimoniam contrahenti, in hominibus maxime cholericis, et iuuenilem aetatem supergressis, licet ingesta penitus exclusa nolim. Fallor summopere aut mecum apprime consentit

3) Lib. VII. c. 14.
4) Lib. III. p. 75.
5) Operum p. 287.

tit *Sennertus*, [6]) quando choleram cum *Hippocrate* familiarem esse dicit iis qui iuuentutis annos excesserunt atque in ea aetate versantur, quam Galenus cum autumno comparat atque deinde haec annectit. *Vt enim in autumno flaua bilis aestatis caloribus collecta magis aduritur, ita et aetas quae iuuentutem sequitur, non modo bilem colligit, sed et biliosum humorem qui ex iuuenili aetate reliquus est magis assat, vnde cholera frequentius gignitur.* Bene noui, cum hoc tempore vbique prostent fructus horaei communiter ab Autoribus eorum incautam comestionem fere saltem pro causa morbi allegari, et bilem quandoque prorsus silentio praetermitti, qua in re ipse adeo peccat *Pitcarnius*, [7]) qui post cibos in ventriculo putrescentes, a solis fructibus horaeis morbum deducit. Verum contra eum et alios cum eo facientes animaduertendum est curatius, quod cum *Willisio Sydenhamus* monet morbum cessare grassari, etiamsi esus fructuum horaeorum perduret, vt adeo in iis causa sufficiens haerere nequeat, sed in aere calido rectius succisque corporis inde mutationem passis, illa collocetur.

§. 19.

6) Med. Pr. Lib. III. Part. I. sect. 2. c. 13.
7) Elem. Med. cap. de cholera p. 164. 165.

§. 19.

Causarum differentium cholerae diagnosis.

De diagnosi morbi praesentis multa edisserere superuacaneum, cum vel ex sola historia morbi in antecedentibus exposita ea peti posset. Solae vomitiones et deiectiones simul adfligentes, aut sese mutuo insequentes, vno eodemque impetu, cum ventris dolore, ipsum adesse testantur, dirissima symptomatum sociorum caterua eius subito quandoque increscentem malitiam, pedetentim plenius docente. Causarum vero morbi diversarum signa exactius nosse multum interest, vt felicius eas e diametro oppugnando aegris medeamur; de hac igitur diagnosi pauca in medium protulisse iuvabit, quanquam plurima huc spectantia ex antecedentibus etiam queant elici. Acre cholericum cum aëre haustum cognoscimus equidem ex epidemia, dolendum saltem quod characterem eius specificum, vt in aliis morbis epidemicis determinare vix liceat; quare saltem remediis generalibus diluentibus, mulcentibus et obtundentibus illud eneruare poterit medicus, nisi forte quando a priori ingenium illius haud assequitur, casus felix, similesque illi plures fausti effectus et euentus verum antidotum docuerint. Quodsi vero cholera ex delictis diaeteticis, alimentorumque copia miscela, degeneratione in acrimoniam acidam

acidam alcalinam, falfam; potulentorumque copia aut praua qualitate enata fuerit, a poenitente et peccata fua fincere confitente aegro, aut amicorum adftantium fermonibus, excretorumque examine, caufae indolem medicus addifcet; neque aliter refrigeria corporis externa admiffu aëris, et interna per potum gelidum glacie adiecta aliquando frigidiorem redditum, poterit intelligere. Humorum inquilinorum et bilis praecipue vitia fefe produnt indole, et infpectione eorum, quae per fuperius aeque ac inferius guttur reiiciuntur; opus vero quam maxime eft, vt bilis acrimonia ab acido vel alcali dominante exclufa attendatur accuratiffime, et a fe inuicem difpefcatur, cum alioquin facile in medendo errores committantur. Acida ingefta vel acefcere apta, ructus acidi, vomitus faburrae faporem acidum et corrofiuum aliquando ori tranfitu fuo inferentis, dentesque ftupefacientis, quanquam materies biliofa effe videatur, facile praeeminentem acrimoniam acidam indigitant. Sique vt verbis *Baglivi* vtar,[1]) ano exclufa excrementa videmque in colore mutata et ad viridem aeruginofum nigrum accedentia, id ab acido copiofo maligno vitriolico, corrodente bili immifto factum effe credamus. Neque omit-

1) Operum p. 441.

omittendus peculiaris prorſusque diuerſus a foetore naturali acidus nidor ſcybalorum aluinorum, narium propinquius pauliſper admotarum interiora titillans, vellicansque illi prorſus ſimilis quem lintea infantum ex corrupto lacte aegrotantium de ſe ſpargere ſolent. Alia autem penitus phoenomena adſunt, ſi acrimonia bilis mere alcalica choleram induxerit. Tempus anni aeſtiuum, calores ſolares tolerati, aetas, motus corporis fortior, potus vini meraci, conſtitutio corporis cholerica, iracundiae affectus ſine ingeſtis acidis et aceſcentibus paulo copioſioribus, multam iam de illius praeſentia ſuſpicionem mouent. Sed eam acrimoniam alcalinam vere adeſſe clariſſime indicant halitus oris male olentes, ſordes linguae et faucium, amaror oris, ructus nidoroſi, excuſſa magno impetu ſupra et infra recrementa viſcida bilioſa putidi ſaporis ſummam nauſeam et vomituritionem perpetuam inferentes, rodens ardor circa praecordia, ſcybala aluina intenſe flaua, vel fuſco et bruno colore tincta, ac mephitin teterrimam emittentia. Choleram ab emeticis et purgantibus draſticis a morborum artificibus aut medicis intempeſtiuis ſui ipſius inductam facile ex anteactis dignoſcere licet, ſed arduum valde determinatu an veneno ingeſto culpa deferenda

ferenda ſit. Verum ſi alicui antea athletice valenti poſt captum cibum vel potum aſſumtum ſubito oriatur dolor vehemens ventriculi et inteſtinorum, ſi anxietate ſumma vexetur, ſi inter horrendas conſtrictiones diaphragmatis vomituriat et vomat aut deiectiones aluinas inter tormina et cruciatus experiatur, ſi interiora ardeant ac faucium aeſtus ſitim perpetuam excitauerit, extus vero corporis cortex frigidis ſudoribus madeat magna ſuſpicio naſcitur corroſiuae indolis venenum ab hoc homine ingeſtum fuiſſe. At vero cum ad vnum omnia haec phoenomena in cholera ab alia cauſa quam a veneno oborta, ſaepius obſeruata ſint, facile perſpicitur ea haud ſufficere certae determinationi, ſed quam maxime cautam hic et circumſpectam eſſe debere veneni dati accuſationem, de qua peculiari diſſertatione egit Cl. *Hoffmannus*. Praeter morales circumſtantias cognitorum e. g. odiorum, iurgiorum, minarum, inimicitiarum ad internecionem extenſarum, vix aliquid certius docet cauſam vere venenatam quam ſi conſtiterit a ſumtis epulis vel potulentis plures antea ſanos pati ſibi ſimilia ſymptomata deleteria, aliter aegre in viuis, facilius autem, ſed non ſemper ſatis certo in demortuorum cadaueribus illa detegitur.

 §. 20.

§. 20.

Prognosis.

De Prognosi sigillatim annectere nonnulla debeo, ne sicco prorsus pede ipsam transiisse videar; huius autem fundamenta latent in historia morbi penitius cognita, ipsaque ex symptomatum ingenio, ac absentia vel praesentia pessimorum praecipue deduci debet. Raro vero alius quam tragicus euentus manet aegros cholericos; atque ego qui praeceps exitium aegerrime euaseram, cum redux Vratislauiam museum meum tamdiu per septimanas derelictum saluus iterum ingrederer, euolutis quae tenuis bibliotheca suppeditabat Practicorum praestantissimorum scriptis, quibus omnibus decumbens ruri ipse non diues et instructa satis bibliotheca vivens carere debueram, horrescens vidi vnanimem omnium in declarando mortali periculo consensum. Acutissimum vitium inter alios veteres ab *Aretaeo*, [1]) sed a *Pisone* [2]) affectum ferocem, acrem, acutissimum, qui vel vno die vel altero, vel certe paucis diebus hominem rapit, accurate internosci et celerrime curari postulantem, appellari animaduertebam. Ea videlicet symptomatum singulorum quibus

1) De caussis et signis acutorum lib. II. c. 5.
2) De cognoscendis et curandis Morb. lib. III. c. 13. p. 73.

quibus aegritudo haec ſtipatur malitia eſt, vt enarratis omnibus non mirum eſſe dicat *Celſus* ſi iis concurrentibus ſubito quis moriatur. [3]) Ex recentioribus *Riverius* [4]) non minus ac veteres choleram morbum acutiſſimum vocat, ſubitam plerumque mortem inferre ſolitum, atque *Teichmeyerus* [5]) *cholera* ſcribit, *morbus peracutus eſt, qui atrocitate ſua homines etiam robuſtiſſimos intra breue temporis ſpatium vel miſerrime debilitat, et excruciat, vel crudeliſſime interficit.* Cur vero his teſtimoniis immoror, ad omnes omnium Auctorum deſcriptiones prouocare licet, namque ne vnum nominauero, qui aliter ſentiat, quare rectiſſime Cl. *Vaterus* nullum in vniuerſo morborum internorum genere dari graviorem, atrociorem, truculentiorem, morbique proximiorem contendit, quam paſſionem cholericam ſi perfecta et exquiſita fuerit. [6]) Nemo vero et hunc Cl. Virum, et alios nimios fuiſſe in pingenda foedis adeo coloribus huius affectus atrocitate exiſtimabit, qui ſciuerit ipſum vltra 4. dies vix vnquam excurrentem, atque non raro altera vel tertia die aegrum iugulantem interdum adeo

3) Lib. IV. c. XI.
4) Pr. Med. lib. IX. c. 9.
5) Diſſ. §. 1.
6) Diſſ. de cholera §. 18.

non diebus, ſed horis haud bene multis elapſis attingere funeſti ſui decurſus terminum. Anguſto 24. horarum ſpatio ſymptomata ſaepe aegrum interimere notauit *Sydenham*, [7]) atque *Bontius.* [8]) Imo vero plures pridie ſatis ſanos, et valde robuſtos, intra 12. horas morbi huius tyrannide adeo miſerrime deiectos vidit *Williſius*, [9]) vt moribundi viderentur, non paucos autem quibus medendi opportunitas deerat cito interemptos. Cholera correptos veluti a furiis internis ita exagitari, vt intra dies, imo horas paucas, inter immaniſſimos cruciatus, conuulſiones, aliaque horrenda ſymptomata e vita tollantur, aſſerunt parens et filius *Vateri.* [10]) Neque deſunt apud practicos exempla ſpecialia triſtiſſimam hanc veritatem comprobantia. Baroniſſam habet *Thonerus*, [11]) inter dira ſymptomata hoc morbo intra paucas horas extinctam. De quodam noſocomii oeconomo qui hora ſexta veſpertina adhuc valens ſubito cholera correptus eſt narrat *Bontius*, [12]) quod ante duodecimam noctis horam, vomendo

7) Loco cit. p. 217.
8) De Medic. Ind. c. 6.
9) Loco cit.
10) Chriſtianus in introitu Diſſ. de cholera, atque §. 18. Abrahamus Diſſ. de cholera §. 14.
11) Obſeruat. lib. III.
12) loc. cit.

do ſimul ac per aluum deiiciendo cum horrendis cruciatibus et conuulſionibus iam miſerrime exſpirauerit. Viatorem quendam adducit *Ridley*, [13]) qui non obſtantibus clyſteribus, et aliis remediis contemperantibus et abluentibus intra ſpatium 20. horarum violentia morbi vitam cum morte commutauit. Porro laudatus modo Chriſt. *Vaterus* [14]) velox fatum recenſet Viri, qui media nocte doloribus quaſi colicis corripiebatur, ſequentibus ſymptomatibus acerbiſſimis cholericis, atque licet optima adhiberentur remedia, altera die a meridie conuulſus et frigidis ſudoribus perfuſus animam exhalauit. Varia demum exempla cholera breui tempore mortuorum exhibet *Henrici*. [15]) An igitur mirum eſt? quando ſonticum hunc affectum ab omnibus Medicis pro acutiſſimo et periculoſiſſimo vt ipſam peſtem habendum declarauerunt haud pauci, atque notante *Vatero* veteres iam immane Japeti genus, audaciſſimam furiam infenſiſſimumque vitae humanae hoſtem dixerunt. Tanta autem cum ſit illius ſaeuitia, ſponte apparet procul hic abeſſe debere in medendo Fabios Cunctatores, otioſos miſeriarum ſpectatores, atque oſores pigros

13) Obſeru. I.
14) §. 18.
15) Diſſert. de cholera.

gros et inermes generoſorum medicaminum, ſed requiri exercitatorum et ſubactorum in arte facienda virorum celerrimam induſtriam. Vanum his in caſibus fuerit conſilium, et peccatum commiſſu turpe, bona ſpe praetexta, ſed ſegnitie potius et tarditate aegrum peſſundare, atque inanes puluillos et guttulas exhibendo, naturae medicatricis adiutorio morbum permittere. Namque qui aliter huic multa ſatis tribuere cum reliquis Stahlianis ſolet Cl. *Iunckerus* veri amore ductus fateri cogitur, niſi remedia admodum conuenientia accedant, hunc morbum difficulter bonum finem attingere, et ſic ad paucos illos affectus referri debere, in quibus autocratia naturae arti aliquo modo cedere cogitur.[16]) Illos igitur Nugatores abarcens *Bontius*[17]) morbum acutiſſimum eſſe clamat, ideoque praeſenti egere remedio; nullique morbo minori ſuccurri momento quam huic cum Corn. *Celſo* monet Nicolaus *Piſo*. [18]) Si vnquam et in vllo alio morbo in hoc ſane ad curam properandum eſſe, quoniam exigua morula damnum et mortem afferre poteſt cum *Tralliano* inculcat *Vaterus*. [19]) Quamobrem vbi extrema

16) Tab. de febr. bilioſis pag. mihi 499.
17) Med. Ind. c. 5.
18) Loco cit. p. 73.
19) Caut. I. in calce diſſ.

trema mali vis eousque adſcenderit, vt remediorum ſummorum poteſtatem id eluſurum fore coniici queat, honori artis optime conſuli certum eſt, ſi a medela abſtineat peritus artifex, aut ſaltem molimina omnia fruſtranea fore ſagax praedicat. Id quidem ſincerum iam conſilium fuit Celeberrimi inter vetuſtos Medicos *Aretaei*: [20]) *Si omnia vomitu reiiciat aeger*, inquientis, *ſi ſudor perennis effluat*, *ſi frigeat laborans*, *et liuidus fuerit*, *pulſus etiam prope extincti ſint et vires cadant*, *boneſtam fugam capeſſere bonum eſt*. Cuius ſine dubio veſtigia legens ex Neotericis *Vaterus*: [21]) *Vbi*, inquit, *funeſta ſymptomata concurrunt ſatius interdum eſt a medicaminum exhibitione plane abſtinere*, *quam fruſtranea eorum adhibitione artem ſaluberrimam proſtituere*. Iuuat vero ne prorſus derelinquatur aeger, qui ex multis vnus forte ſeruari adhuc poterat, attendere ad functionum omnium indolem, atque quousque earum integritas deiecta ſit, antea diiudicare. Princeps vitalis ſi prorſus langueat, pulſusque debiliſſimus vix tactu percipiatur, ac ſubinde intermittat, deinde ſi ſeruationes doloroſae ſint exquiſitiſſimae, aut quae tales erant ſubito in indolentiam abeant; porro ſi ſenſus

20) De curat. acutorum lib. II. c. 4.
21) Caut. II.

ſenſus interni perturbati et aboliti obſeruentur, menteque ſibi amplius non conſtet aeger, ſed balbutiens delira loquatur; rurſum ſi motuum impetus ſit enormis, conuulſionesque perpetuae ventriculi et inteſtinorum vomitibus et deiectionibus perpetuis teſtibus in ſingultum tendant, et ad artus tremore concuſſos et contractionibus vexatos propagentur, eorumque extrema ſudantia licet intenſe tamen frigeant, dum interiora corporis interea vruntur; tandem ſi excreta vomitu vel deiectione ſint ſanguinolenta, foetidiſſima odoremque plane cadauerоſum ſpirantia, conclamatum erit de ſalute aegri ac vix et ne vix quidem ex gelidae mortis faucibus quibus totus, iam inhaeret ille iterum eluctabitur. Id bene intellexit inter alios *Riuerius*, [22]) breuiter omnia complexus. *Quo grauior* inquiens, *in cholera ſyncope, conuulſio et extremorum frigus*, *eo breuior hiſtoria et mors propinquior.* Haec nimirum quae tradit phoenomena docent luculenter, ita emuncta eſſe liquida vt circulatio fere deſinere incipiat; ita irritata ſolida vt ad ipſas neruorum origines ſerpat vitium; eousque loca affecta vt inflammatio illorum ſit ſumma, vel iam migrauerit in gangraenam et ſphacelum. Quid vero hiſce conditionibus in corpore

22) Loco cit. p. 287.

pore humano positis, amplius pro vita sperandum superesset? E contrario autem non sine fiducia expectari potest, fore vt aeger perito medico commissus ex orci faucibus eripiatur, quando pulsus regularis, plenus vtcunque, et fortis vibrat, febrisque mitescere obseruatur, aut bona fortuna prorsus abest; quando dolor excreta causa cum aliis bonis signis minuitur, vomitionumque ac deiectionum frequentia et impetus conquiescit, ac excreta aluo naturalibus similia euadunt. Porro quoque in maiori securitate versatur aeger, quando durante atroci corporis aegritudine mente interim valet, quando conuulsiones absunt, aut illae remediis adhibitis cito auscultant, atque aequa distributione humorum per corpus superstite extrema naturaliter calent et perspirant. Multum etiam ad Prognosin certiorem formandam facit causae cognitio, quae si a vitio diaeta pendeat, mitior semper morbus habendus, funestior autem notante *Ethmullero* [23]) Abr. *Vatero*, [24]) illa cholera, quae nulla praegressa euidente et manifesta causa aegrum impetit, et ab interno vitio tantum excitatur. Denique nunquam obliuioni dandum choleram aestiuam, omnibus aliis si a vero veneno natam excipias, peio-

23) Loco cit.
24) §. 14.

peiorem deprehendi. Taceo quae de periculi differentia ſubiectorum, aetatum aliorumque momentorum intuitu commemorare poteram, cum ſponte, aut ex antecedentibus innoteſcant. Sunt quoque notante *Piſone* [25]) cholerae periodicae, quae quibusdam ſtato tempore ſalubriter mouentur, quales etiam *Galenus* habet, ſed hae meum argumentum prorſus non ingrediuntur, cum ſi occurrant, quod rarius fieri conſueuit, nil diſcriminis inuoluant, nec vere morboſae ſint, ſed potius ab aliis grauibus morbis liberent.

§. 21.

Remedia cholerae, venae ſectio.

Nunc vero ordinis iuſſu me conuertere debeo ad methodum medendi, cauſisque differentibus illam vt decet, accommodare. Equidem iam praeter intentionem increuit moles opuſculi, ſed meretur tamen grauitas mali, vt nil ad eius ſanationem facere aptum omittam. Cumque de eadem egerint Viri praeſtantiſſimi ex inſtituto, placet mihi remedia potiora ſenſim conſiderare, atque indagare curatius, quo tempore, atque ſub quibus circumſtantiis illa proſint, vel noceant; ita enim credo ad veram et felicem curandi rationem, quam non omnes mea ſententia ſat cauti expoſuerunt, ego quidem

25) Loco cit. p. 73.

quidem ſalubria praecepta ſuppeditabo. Ordiar a venae ſectione! Miror valde, de ſummo hoc remedio fere tacere Graecos, aliosque antiquiores medicos; ſane placita eorum qui aſſidue collegit *Piſo*, nullam eiusque mentionem iniicit, nihil quoque inter recentiores de ea commemorat *Sydenhamus*, atque ſine reſtrictione phlebotomen nunquam non his aegris nocuiſſe auctor eſt *Williſius*. [1]) Non negari poteſt cauſae ipſi, acrimoniae ſcilicet ſtabulanti in prima regione, niſi ſupponere velimus, illam eo amandari ex oceano humorum, quod raro ſupponi poteſt, nil detrahere ſanguinem ex vena emiſſum. Enim vero, ego ita inter aegros meos verſari ſoleo, vt in omni morbo curando, non ſaltem oppugnem cauſam eiusque proximam, ſed et modum curae cordique habeam, quo ſi illa vicerit aegrum viribus ſuis vitae, et medicum viribus remediorum contra machinantes, mortem excluſura eſt, illumque moriendi modum oppugnata cauſa ſimul inhibeam, quantum poſſum. Iam vero ſi receſſerimus a conuulſionibus et ab irritatione et ab inanitione metuendis, aegrumque perinde trucidare aptis, praecipua mortis ratio ſine dubio fundatur in gangraena ſphaceloue ventriculi et inteſtinorum, hanc igitur feralem eorum necroſin

1) Loco cit. p. 73.

necrosin vt auertamus, oppugnanda erit nascens vel nata inflammatio, agendis reliquis pro eneruanda causa inflammationis neutiquam omissis. Constat autem inflammationis quae in stasi sanguinis et motu liberi sanginis aucto consistit therapiam genuinam inter alia efflagitare, vt circulus nec excedat nimis, nec torpeat, sed iustum inter vtrumque moderamen seruet. Id si verum fuerit, vt alioquin, ita et in cholera is aeque peccauerit, qui pulsu existente debili, tardo et paruo venae sectionem administrandam suaserit, quam qui illam omiserit pulsu existento magno, forti et frequente. Nullus futurus erat dissensus inter Practicos, de venae sectione in cholera vel omittenda vel adornanda, si haec omnia debito considerassent, saltem inter recentiores qui penitius nosse possunt inflammationis ingenium, oblocutiorum et contrariarum sententiarum debet esse finis. Scilicet omnibus quae exposui, expensis serio, sponte clarum redditur, plethorae et febris rationem habendam esse, atque ea propter si vtraque sese palpabilem reddat, mature et si fieri potest in principio principii, impetum sanguinis multi, velociusque moti vena secta esse infringendum. Sed et non minus sponte apparet, profusis vltra modum humoribus, depauperataque vomitibus et deiectionibus

liquido-

liquidorum mole, eaque propter pulſu debilius micante, et cum intercurrentibus lipothymiis intermittente, vt omnes alias euacuationes, ita et venae ſectionem, abſonam omnino et nocentiſſimam futuram. Atque his principiis imbutus, eorumque ſatis tenax etiam ſecundum eorum normam vnice agendum cenſui, cum mihi ipſi communem Medicorum omnium in vicinia calculum forte haud nactus, ſanguinem detrahendum eſſe decernerem, ſatis interim de rebus meis bene geſtis ſecurus. Equidem in cholericae febris medela abſtinendum eſſe a venae ſectione cum Stahlianis monet *Iunckerus*, [2]) eamque licet per initia in ſtituatur, vſum tamen nullum, niſi in vehementer plethoricis, iisque huic euacuationi adſuetis exhibere, adminiſtrataque ea extra has circumſtantias, circa dies indicatorios et criticos raptum humorum ad caput induci, cum deliriis et faucium inflammatione, perhibet. At vero, quiuis credo a praeiudicatis opinionibus liber facile perſpicit, per ſupra ſtabilita principia non ſaltem plethoram ſummam, ſed et mediocrem febre expanſam et celerius commotam, indicare venae ſectionem, raptusque humorum ad caput et anginas, ſi in hoc morbo obue-

2) Tab. de cholera p. 504.

obueniret, magis ab intermiſſa eadem, quam tempeſtiue in vſum vocata metui debere, vt in aliis acutis febribus. Rectius omnino Cl. C. *Vaterus* [3]) in iuuenibus plethoricis aliisque quando inflammatio viſcerum adeſt, vel imminet, venae ſectionem praeſentaneam opem ferre aſſerit, plus minus largam; imo ſi indicantia et contraindicantia id permittunt, etiam repetitam, vtpote qua minuto impetu et preſſione ſanguinis in vaſis inflammatio optime praecaueatur. Egregie quoque VSis neceſſitatem et vtilitatem cognitam habuit *Ridley*, [4]) qui tardius paulisper ad aegram ſuam cholericam, quam deſcribit, vocatus, pulſum exilem et depreſſum plane deprehendens, omnino a VSe abſtinuit, aliter enim vt ipſe ſcribit, ſanguinis miſſionem ſuaſiſſet, cuius procul dubio in initio omiſſae graues poſtea per totum morbi decurſum luebat aegra poenas. Doleo optimum Praeceptorem *Hoffmannum* binis diuerſis locis vbi de VSe in cholera agit, ita ſeſe geſſiſſe vt ſibi ipſi contradixiſſe videri poterat lecturis obiter attendentibus. Nempe de cholera et diarrhoea belioſa agens. [5]) Sicuti VS. in dyſentericis ſanguine plenis, ad praecauendam inflammatio-

3) Diſſ. de cholera §. 21.
4) Obſeruationum prima.
5) Med. Syſt. Tom. IV. part. III. p. 593.

mationem et mitiganda ſymptomata egregium confert momentum, ita ſub iisdem circumſtantiis eam in cholera quoque adminiſtrandam eſſe aſſeuerat, praeſertim ſi virium ſit integrum robur. Prouocat ibi ſimul ad encomia *Riuerii*, [6]) quamuis minus appoſite, nam hic euolutus VSem in principio morbi neutiquam collaudat, ſed potius abeſſe vult, ex alio prorſus capite illam commendans, vt breui videbimus. Alterum locum *Hoffmanni*, quod attinet ille quidem priori modo allegato contrarius VSi minime fauet, ita enim is vbi de febribus biliofis agit, [7]) de ea iudicat: *Neque etiam VS. admittenda in febribus cholericis tam acutis, quam intermittentibus, typum habentibus, et cum numeroſis deiectionibus per os et aluum, ſumma praecordiorum anxietate et extremorum frigore ſtipatis.* At licet modo in hanc, modo in illam partem deflexus videatur optimus ſenex, tantum abeſt, vt haec vtraque loca ſibi contradicant, vt potius egregie conciliandam accuratius determinent quando adminiſtranda, quando omittenda ſit venae ſectio; quando emolumentum quando noxam allatura ſit. Choleram intermittenti febri iunctam aut febrem choleram mentientem VS. non curat, ſed

6) Pr. Med. lib. IX. c. 9.
7) Tom. IV. part. I. p. 348.

actis agendis, cortex peruuianus. Acutae febris symptoma cholera aliter tractanda, quam cholera ipse morbus, cuius symptoma est acuta febris. In cholera, autem huius indolis vera scilicet, virium robur, quod in priori loco memorat *Hoffmannus*, ex pulsu iudicandum omnino VSem requirit; numerosae iam deiectiones praegressae, et extrema frigentia de quibus in altero verba facit, quaeque exhausta iam plus iusto liquida testantur, et pulsum exilem semper socium habent, necessario venae sectionem vetant. Praeter pulsum autem et morbi durationem ipsum subiectum patiens, aetas, indolesque cholerae, causae intuitu, magis vel minus VSem poscit. Consistentis aetatis homines, succi pleni, caloribus solaribus, exercitatione corporis, aestuque animi commotum sanguinem in vasis gerentes, vinorum potatores, et praecipue aestiua cholera laborantes, summo semper in periculo versantur, nisi id minuerit ipsis ocyus secta vena. Verum alio quouis tempore, quam Augusto mense affligens cholera, a refrigerio, ingluuie etc. oborta, etiam sine VSe, nisi indiuidualis casus hanc postulent, non raro sanabilis obseruatur. Restat vt eorum sententia expendatur, qui haud ingruente sed denum superato pene morbo, VSem cum fructu

fructu in vſum vocari contendunt. Horum praecipui qui ſine dubio ſunt, *Riverius* et *Riolanus* ita agendum eſſe cenſent. Namque prior *cohibito* inquit, *vomitu et alui fluxu et viribus pauliſper inſtauratis, cum ſymptomata poſt vnum et alterum quietis diem fortiora reſurgere ſoleant, et aegrum a priori inſultu valde debilitatum de medio tollant, ingenti illi periculo ſuccurrendum eſt vires inſtaurantibus et demulcentibus ſed praecipue VSe, quae ſanguinem aeſtuantem et torridum reuellit, eaque ſemel, bis, ter erit reiteranda ſi vires ferant. Quidam Practici in ipſo inſultu etiam valde proſtratis viribus venam ſecare audent quas dicunt eſſe oppreſſas non exſolutas, attamen ſine periculo ſanguis tunc mitti non poteſt, virium enim exſolutio ab euacuationibus negari non poteſt, ſatius ergo eſt humorum impetum cohibere, mox pacatis ſymptomatibus ad VSem confugere.* [8]) Idem prorſus conſilium iisdem adeo verbis ſuppeditat *Riolanus.* [9]) Ego vero fatear libere, vix expectaueram a *Riuerio*, VSis alioquin tempeſtiuae magno, et ſolido encomiaſte eiusmodi ὕϛερον πρώτερον practicum, quod et apud *Bonetum* legitur. [10]) Vereor valde, ne ſaepe clauſula vitae ſic antea ingruat,

R 3

8) L. c. p. 287.
9) In enchiridio anatomico p. 131.
10) Merc. compil. lib. III. p. 112.

ingruat, quam suscipi queat venae sectio, quae mature adhibita multum meo iudicio ad vitam seruandam valere potest, ita quidem, vt meam propriam ipsi bonam partem acceptam referam. Itane sibi permittenda periculosissima in hoc morbo inflammatio, remediumque quod eius ortum et incrementum quam maxime praecauere potest, negligendum, donec sine illo sub multo magis ancipiti decursu sponte illa transierit? Sane si ob impetuosas valde statim prima vel secunda die euacuationes, non oppressis saltem sed vere exsulatis viribus, haud locum inueniat phlebotome, an commodum tunc inueniet, etiam repetita, ipsis post exhausta per plures dies omnia fere liquida aegro in sceleton fere redacto sola cute et ossibus haerens, exsolutissimis? vix crediderim. Semel quiescentibus vomitibus et deiectionibus, febreque consopita, nisi grauior in intestinis remanserit laesio, bona spes est, ac nisi immanis in diaeta committatur error, ita vt aeger e. g. subito ira excandescat, aut potu spirituoso se ingurgitet, tutus erit a recidiua, demulcentium consopientium, nutrientium, roborantium ope. Qui vero non obstante horum decenti vsu satis diu superest corporis languor cum venarum inanitione, luculenter docebit replentia magis quam euacuantia eo tempore indicari.

§. 22.

§. 22.

A venae ſectione tranſeo ad emetica, vt- *Emetica.*
pote commemorata nonnullis, quae tamen
ſi vlla remedia alia, inuito Apolline, et
non ſine ſymptomatum omnium, adeo
iam in ſe ſonticorum exquiſitiſſima exa-
cerbatione, cholera laborantibus porri-
guntur. Non defuere nihilominus omni
tempore, qui vomitus conatusque vo-
mendi perpetuos aegrorum obſeruantes,
tritum illud *vomitum vomitu curari*, huic
aegritudini male applicarunt, atque non
bene conſiderato illius ingenio, minus
opportunos naturae miniſtros hic ſeſe
praeſtiterunt. Nemini medentum facile
condonandus eſt decumanus eiusmodi
error, omniumque minime praeclaris
alioquin theoretica ſcientia et practicis
operibus viris, atque non niſi praeter
intentionem, et obiter attendenti Cl.
Teichmeyero in doctiſſima de hac materia
diſſertatione excidiſſe verba credibile eſt,
*ſi vomitorium deſideretur commendandam
eſſe ipecacuanham.* [1]) Nunquam ſcilicet
vel ſingi poterit caſus, qui hoc morbo
praeſente deſideret emeticum vere tale,
atque eapropter rectiſſime cum aliis *Sen-
nertus* a fortioribus emeticis hic omnino
abſtinendum eſſe monuit, quia ventri-
culo ſint inimica, et morbum augeant; [2])

 illosque

1) §. 24.
2) L. c. p. 164.

illosque qui hoſtem vomitoriis eiicere conantur oleum igni addere merito edixit Chriſt. *Vaterus.* [3]) Equidem conſenſus Practicorum, rerumque vſus confirmat, non raro in dyſenteriae curatione bene cedere vſum emeticorum, ſpeciatim vero adeo inſignibus elogiis concelebratae ipecacuanhae, quae adeo et in morbo dyſenteriae affini cholera, inſeruire poſſe intentionibus medici, ſalutique aegri, videri queat. Vt vt vero vterque hic morbus multam inter ſe conuenientiam alat, multum tamen diſcriminis etiam ſine dubio datur, inter acre ſtimulano dyſentericum, et cholericum. Hoc certe cum multo magis acutum; citiusque multo interimere ſolentem, et ad peſtem proxime accedentem morbum pariat, rodentiſſima ſua venenoſa et deleteria indole, illud longiſſime ſuperare non negari poteſt. Sique per experientiam tanquam ſpecificum congruat ipecacuanha eneruando et eiiciendo acri dyſenterico, modo non facile explicabili, non proinde cholerico acri alia indole induto, aeque conuenire, coniiciendum erit. Taceo ſaepius peccari et in dyſenteria exhibitione huius radicis; tenerioribusque aegris illam vix quadrare, a robuſtioribus vero aliquando minus appoſitae exhibitae ſiniſtros effectus

3) Caut. VIII. diſſert. de cholera.

effectus cum ipso morbo ita superari, vt sanitate reddita per vires vitae et alia pharmaca, nimium deinde radici a fautoribus eius tribuatur. Denique quod primo loco notare debebam ad dysenterici fluxus essentiam haud spectant vomitus, sed terminosae sordium mucosarum plus minusue sanguine tinctarum per aluum excretiones, cum crebra desidendi cupiditate, illam absoluunt. Atque licet in principio eius maxime, vel si mali impetus valde increscat, pariterque si funesta ventriculi inflammatio ipsi accesserit, vomitus symptomatici dysenteriae omnino iungantur, illa tamen fortissima si fuerit, potest esse sine omni vomitu, vi summa ipsius in rectum intestinum potius vt notat *Sydenham* quam superiora ventriculumque versus nitente. Longe vero aliter comparatum esse cum cholera, ex eius ingenio cognito liquet, namque tota eius essentia in deiectionibus et vomitionibus consistit, ita vt his absentibus vel cessantibus statim cesset cholera, atque simplex saltem adsit diarrhoea. Igitur cum cholera affectus aeger saepe adeo enormiter atque multo impetuosius vomat a stimulo cholerico ventriculo et duodeno inhaerente, ac si vomitorium drasticum stimulo vel maxime acri agens assumsisset, re bene perpensa, vel inuiti largiri tenebuntur emeticorum

fautores, abesse talia prorsus debere a curatione cholerae. Id egregie intellexit, licet multum alioquin in multorum aliorum morborum curatione tribuat vomitoriis, de hac aegritudine agens *Pitcarnius* quando si aliquis assumserit medicamentum emeticum satis validum, neminem sanae mentis aliud ingerendum esse emeticum suasurum fore asserit, huiusque adeo adhibitionem in cholerica vomitione nocentissimam declarat. [4]) Imo vero si purgantia ne dicam resinosa, aliaque paulo fortiora, sed leniora et pro innocentibus quam maxime habita, ex summorum Practicorum decreto, vix locum habent in hoc morbo, vt in subsequentibus videbimus, quis prudens eo deueniet audaciae, vt tartarum emeticum, et ipecacuanham porrigere non dubitauerit. Sane vt daemonis eiectio daemone immisso male successura erat, vt arsenicum ingestum arsenico superingesto haud mansuescit, ita vorans et rodens acrimonia cholerica, rodente et vellicante remedio se cicurari haud patitur, sed potius huius accessu adiuta tanto atrocius furit, viscerumque parenchyma tanto certius exedit et inflammat. Pulchre haec vt modo laudatus *Pitcarnius* cognoscens Cl. *Iunckerus* licet prudentiae medici antea reliquisset num

4) Elem. Med. lib. II. c. 18. §. 24.

num ſtatim ſub initium noxiam materiam vomitorio eiici circumſtantiae concedant, tamen paulo poſt ad euacuationem emeticam circumſpectionem ſummam requiri dicit, vt ſub initium morbi cum vtilitate adhibeatur. [5]) Dicerem ego lubentius, circumſpectionem ſummam huic morbo debitam poſcere, vt cum vtilitatem nunquam praeſtare queat emeticum, prorſus omittatur, et damnetur. Quid enim? ipſe Vir optimus paucis interiectis ita ſentit: *Omnia Vomitoria*, inquiens, *ventriculum laedendo, arrodendo et ſubtili σήπσει adficiendo euacuationem proritant. Hinc circumſpectione opus eſt num aliquid vlterius tum addendum ſit, quando acris materia cauſtica per ſe hoc viſcus iam obſidet.* [6]) Verum his omnibus ita ſe habentibus, non tamen negari poſſe videtur, veterum plurimorum eam fuiſſe ſententiam, mouendum eſſe cholericis aegris, et promovendum vomitum, ad morbi materiem celerius eliminandam. Qui magna, et ſola, et nimia quandoque, venerabilis antiquitatis medicae veneratione ducuntur, animoſe et confidenter prouocare poterant ad auctoritatem magni *Hippocratis*, qui virum Athenienſem vehementiſſima laborantem cholera, cum ſiſti

5) Conſp. Med. p. 504. no. 4.
6) Pag. 504. no. 9.

ſiſti vomitus et ſeceſſus nequirent, voce deſtitutum, conuulſionibusque et ſingultu, caligantibus iam oculis affectum, veratro cum lentium ſucco exhibito curatum recenſet. [7]) Ego hic non nimis extra oleas vagabor, fuſiusque inquiram in modum illum tutiorem, qui veteribus in exhibendo Helleboro et albo et nigro ſolemnis erat, quaque arte illi draſticum ipſius virulentiam cicurare, et infringere allaborauerint; neque ſtudioſe exponam, qua circumſpectione ante et poſt vſum corpora ad feliciorem operationem praeparauerint, diaeta, fomentis, potibus humectantibus et emollientibus, ac lacte potiſſimum, quod adeo omnia venena acerrima et cauſtica caſtrare aptum eſt, qua de re legi meretur *Schultzii* elegans et docta diſſertatio *de Helleboriſmis Veterum*, Sane has artes *Hippocrati* Patri curae cordique in exhibitione valde acris huius remedii fuiſſe, appariturum erat ſine dubio ex deperdito ipſius libro ſingulari *de Elleboro Galeni* temporibus iam deſiderato. Interim tamen id ipſum iam conſtat ſatis vel ex Solo aphoriſmo XIII. ſectionis IV. quo ad Elleboros qui non facile ſurſum purgantur, iis ante potionem corpora praehumectanda eſſe praecipit, ipſaque haec potio elaborata ſine dubio methodo peculiari

7) Popularium V. ſect. IV.

culiari iam praeparata erat, vt ad vsum innocentior et salubrior foret. Etenim quod Experientissimus Senex Ellebori sibi relicti deleteriam vim probe perspectam habuerit ex aphorismo XVI. sect. IV. *Helleborus periculosus est sanas carnes habentibus, conuulsionem enim inducit*, et ex aphorism. I. sect. V. *Conuulsio ex Elleboro lethale* perspicue satis innotescit. Atque quod speciatim locum supra allegatum ad choleram facientem attinet, crediderim ibidem *Hippocratem* recensere potius curationem aliquam fortuitam per helleborum quam eam commendare ac ad imitationem proponere. Egregie certe animaduertit *Sennertus* [8]) textum illum *Hippocratis* exagitari a *Coelio Aureliano*. Hic nempe si euoluatur, [9]) vel eodem *Hippocrate* teste veratrum sanis adeo, quique nulla violenta aegritudine laborant periculosum assumtu haberi monet, igitur pessime cholericis porrigi infert. Porro laudatus modo *Sennertus* de illo loco bene scribere *Foësium* ait valde iniquum esse, ab iis quae temere sunt et leuiter animaduersa exactae curationis leges petere velle, cum multi praeter spem conualescant, quorum curationem pro curandi norma vniuersali semper habere non licet. Quic-

8) Pr. Med. lib. III. p. 163. 164.
9) De Morb. Acut. lib. III. c. 21.

Quicquid ſit, id ſaltem certum eſt, optimam et iuſtiſſimam eſſe intentionem in Cholera, quantocyus eliminandi vel ſaburram mole peccantem, vel tenuiorem acrimoniam vellicantem; modo habeatur remedium, ipſam ſine addita noua acrimonia, ſine nouo ſtimulo, obtuſam antea potius redditam et inuolutam, tuto eiiciens. Si vlterius indagemus monumenta veterum, plurimos eorum, non veratro quod ipſis pene idem erat ac nobis tartarus emeticus et ipecacuanha, ſed prouido valde conſilio, ope benigniſſimorum diluentium illum effectum impetrare molitos fuiſſe. Non ſane haec methodus aliena fuit ab ipſa therapia hippocratica, elegans quippe ſatis huius rei teſtimonium legitur in Diui Senis libro de *locis in homine.* [10]) Si quis homini vomenti aquam multam bibendam dare velit, eluentur eapropter quae vomit, vna cum vomitu. Et ſic quidem per vomitum vomitus ſedatur. Quis dubitaret ſapientiſſimum hoc conſilium maximopere quadrare ad curationem cholerae? Data vero opera in hoc morbo *Aretaeo* laudatur valde ſimplex itidem aqua tepida, quam ſorbitioni aſſidue praebendam vult, vt cruda quae eiici debent, ſi non ſponte exeant, incitentur. [11])

Prot-

10) Sect. LI.
11) Curat. Acut. lib. II. c. 4.

Prorſus eadem ratione *Trallianus* [12]) exhiberi iubet, quae vomitum prouocare largius poſſunt, qualis eſt mulſa, ſique mulſam non libenter ſumant aegri, tepidam aquam liberalius dandam praecipit, vomitumque ſollicitari digitis aut pennis in os immiſſis. Neque minus Paulus *Aegineta* [13]) ſi nauſeet et lancinetur aeger, aquam tepidam commendat, vomitumque digitis et pennis proritandum eſſe monet, vt *Trallianus*. Equidem mulſam in eosdem fines reiicit *Aetius* [14]) cum mordacitatem operetur, torſionesque augeat, interim ſi non ſponte ferantur ſordes conuenire inquit opportune irritare aqua tepida exhibita, aegroque vomere iuſſo. Non aliter *Celſus* protinus vbi malum coeperit oportere aegrum aſſerit aquae tepidae quam plurimum bibere et vomere. [15]) Atque qui veterum placita vno conſpectu exhibet *Piſo*: *Incipiente morbo*, inquit, *permittendum eſt opus naturae, dum quae corrupta ſunt et deprauata excernit, corruptis itaque cibis in ventriculo propter eorum copiam vel qualitatem prauam aqua tepida liberaliore exhibita aegrum vomere iubebis, digito vel penna ori ea-* propter

12) Lib. VII. c. 14.
13) Lib. III. c. 39.
14) Ter. III. Serm. I. c. 12.
15) Lib. III. c. XI.

propter etiam indita. Mulſa quoque vtendum eſt, vt quae aluum cum vomitu ſine noxa incitare poteſt. [16]) Prorſus autem eadem via inſiſtendum eſſe veteres cum fructu imitaturi inculcant recentiorum haud pauci, inter quos *Sennertus* ad vomitum iuuandum dandam aquam mulſam vel hordei tepidam aut ſolam aut cum ſacharo vel ſyr. roſarum praecipit: [17]) Deinde etiam *Riuerius: Euacuatio pauliſper ſibi committenda*, inquit, *dum praui et corrupti humores exierint. Tum etiam interdum eorum excluſio molienda vomitione concitata, hauſtu aquae tepidae cum ſyr. acetoſo mixtae, aut iuſculo pulli magna copia ſumto.* [18]) Idem iuſculum pulli tepidum ad aliquot cyathos capaciores hauriendum, pro diluendis et euacuandis acribus humoribus, ex ventriculo liquoris quantitate ſaepius onerato et ſubuerſo multis laudat, certumque eluuionis ita obtinendae penſum abſoluendum indicat *Sydenhamus.* [19]) Dumque ſtimulato iam per morbi cauſam ad excretionem ventriculo cum inteſtinis non opus eſſe vllis purgantibus ſiue ſurſum ſiue deorſum inculcat *Pitcarnius*,

vt

16) De cognoſcendis et curandis morbis Lib. III. c. 13. p. 74. 75.

17) Loc. cit.

18) Operum p. 287.

19) Sect. IV. c. II. p. 217. 218.

vt post sumtum emeticum, ita et hic, magnam copiam seri lactis, aquae tepidae, iusculi macri, aut cereuisiae tenuissimae modo non acidae exhibere iubet.[20]) Denique vomitum hausta copiosius aqua tepida butyro insulso, vel oleosis ac mucilaginosis largius imbuta adiuuandum *Hoffmannus* suadet.[21]) Idem vero haec omnia a praeclaris omnis aeui Autoribus collaudata tum praestant, quod arsenico hausto praestat superingestum largius lac pingue, vel mitissimum oleum quod non minus vomitus mouet, sed beneficos et salutares, mitigatum toxicum excutientes, morbosis et nociuis a veneno motis tandem mitigandis pares. Atque hac ratione statim in principio aegritudinis proritatus vomitus cholericorum vomitum totumque morbum poterit minuere et curare, nequaquam autem excitatus aliter.

§. 23.

Sed et purgantia sibi deposcunt accuratiorem considerationem, num prosint ad felicem morbi medelam, num eidem aduersentur. Mitius illa omnino quam vera emetica, multoque minoribus turbis ac sine motuum tumultuantium

Purgantia.

20) Element. Med. lib. II. c. 18. §. 23. 24.
21) Med. Syst. Tom. IV. Part. III. p. 588.

tium maiori exacerbatione, operationem suam exequuntur, maxime si non ex resinosorum fortiorum familia seligantur, namque haec merito suo vt supra apparuit, potius inter ipsas morbi caussas quam ad eius remedia referenda sunt. Interim quod blandiora aluum ducentia attinet, quae fere magis titillando intestina, quam stimulando agere solent, illa certe in apparatu remediorum cholerae sanandae inseruientium reseruari debere omni tempore visa sunt Practicis magni nominis, sat circumspectis, iustamque aegritudinis id eam habentibus. Mulsam *Tralliano*,[1]) aliisque antiquis hic toties commendatam, vt ad vomitum leniter mouendum accommodatam esse, ita quoque ad aluum sine noxa irritandam pulchre inseruire censuit *Piso*,[2]) quamuis ob morsus et torsiones quos efficiat *Aetio* damnetur. Ipse tamen *Aetius*,[3]) eapropter non abhorret a consilio mouendi aluum, sed adiuuandam dicit excretionem per sedem ad alienum venenum insidens eliminandum. Atque ex laudati modo *Pisonis*[4]) sententia vbi procliuiora fuerint corrupta alimenta vt per aluum excernantur, eademque via natu-

ra

1) Lib. VII. c. 14.
2) Lib. III. c. 13. p. 75.
3) Tetr. III. serm. I. c. 12.
4) Loc. cit. p. 75.

ra ea expellere tentet conuenit iuuare excretionem per ſedem purgantibus medicamentis leuioribus, diuerſis tamen pro natura corruptorum alimentorum. Nempe ſi adſit copia humoris bilioſi rhabarbarum, hieram picram et agaricum; ſi pituitoſa cruditas aloen et myrobalanorum decoctum collaudat. A neotericis qui aluum laxantia in hoc morbo admittunt fere omnibus aliis praefertur rhabarbarum, eoque cum ſyr. de abſynth. in pilulas redacto humorum corruptorum excluſionem commode perfici *Riuerius* [5]) ſtatuit, idemque pharmacum ſi haec indicetur concedit *Ettmullerus*, et ſufficere dicit *Hoffmannus*, [6]) atque *Teichmeyerus*. [7]) Quanquam vero hoc ipſum innocens et polychreſtum habeatur iure, atque omni exceptione et dubitatione maiores fructus edat in curanda dyſenteria morbo cholerae analogo, dantur tamen Viri clariſſimi bene multi, qui ne quidem hoc volunt in ſanatione cholerae, ſed ſimpliciter ab omnibus laxantibus vere talibus, benigniſſima ſi fuerunt, prorſus abſtinendum eſſe inculcant. Cum ſordes ipſae praeſentes ventriculum et inteſtina ſatis commoueant, et ad excretionem ſtimulent, non opus eſſe vllis

S 2 pur-

5) Pr. Med. lib. IX. c. 9.
6) Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 592.
7) Diſſ. de cholera §. 24.

purgantibus asseuerat *Pitcarnius.*[8]) Nunquam non in hoc morbo nocuisse Catharsin *Willisius* notat, [9]) sedulaque mentis applicatione et multiplici experientia edoctus *Sydenhamus*, quod si acres istos humores, fomitem morbi, catharticis expellere conaretur, idem se egisse deprehendit, ac is, qui ignem oleo extinguere satageret, cum cathartici vel lenissimi operatio omnia magis perturbaret, et nouos insuper excitaret tumultus. [10]) Porro ne mitiora quidem purgantia admittit Christ. *Vater*, [11]) quique vnus instar Stahlianorum omnium est *Iunckerus*, vt in emeticis ita et in catharticis summam circumspectionem requirit, vt sub morbi initium cum vtilitate adhibeantur. [12]) Neque aliter sensit Praeceptor *Hoffmannus* laxantia quippe oretenus data rarissime in cholera exposci ait, ipsaque manna quam toties benedictam ab eo appellatam memini, cuique fere vbiuis in praxi sua fauit, ita hic eximio Viro displicet, ac *Aetio* mulsa, nunquam quippe illam conuenire in hoc affectu profitetur. [13]) Nostratibus quoque Medicis in cholera olim vix adhibita fuisse

se

8) Element. Med. lib. II. c. XVIII. §. 24.
9) Loco cit: Pharm.. rat. p. 74.
10) Loco cit. p. 216. 217.
11) §. 23.
12) P. 504.
13) Med. Syst. Tom. IV. Part. III. p. 592.

ſe aluum mouentia ex Hiſtoria morborum Vratislauienſium apparet, vtpote quae de iis prorſus tacet, neque nunc illis niſi raro valde aggredi hanc aegritudinem ſolemus. Meam ſeorſim ſententiam quod attinet, vt aliquid certi circa crebriorem abuſum, et rariorem vſum purgantium in cholera ſtabiliatur, ad cauſas diuerſas et tempora morbi diuerſa attendendum eſſe crediderim. Si a manifeſto vitio diaetetico ingeſtisque quantitate et qualitate peccantibus malum ſit excluſum, neque quod notari velim, euacuationes in principio moli ingenti quam adeſſe ſuſpicamur euerrendae reſpondeant, interque cardialgicos dolores et cruciatus abdominis, fere inanes parum vomitu et ſedibus eiiciatur, non inconueniens fuerit, rhabarbaro vti, vel etiam manna in emulſione ſoluta, ſine vllo addito ſalino ſtimulo nitro forte ſolo excepto, vt citius alimentorum canalis a ſaburra inhaerente liberetur, iuſtusque tum cohibentibus locus concedatur. Spectare huc mihi videntur verba *Piſonis*, quando leniora laxantia concedit, vbi aliquis ſuccus vitioſus aut corruptus ad excretionem procliuis naturam irritat, nilque effatu dignum per aluum deſcendit. [14]) Neque minus monitum *Sennerti* huc facit, qui ſi naturae

14) Lib. III. p. 75.

turae maior ſit conatus et irritatio quam humorum euacuatio, iis vtendum eſſe praecipit, quae laxant et abſtergunt veluti manna ex ſero lactis vel carnis iuſculo. [15]) Audiri quoque meretur Ettmullerus contra malum ex corruptione alimentorum infuſum rhei inſeruire affirmans. [16]) Abſtinendum e contra erit ab omnibus aluum cientibus, ſi contrariae conditiones adfuerint, etiamſi appetitus peccato morbus fuerit prognatus. Summa vero cautione ſemper debent porrigi blandiſſima quoque laxantia, ſi cholera fuerit aeſtiua, breuiſſimi decurſus, atque a commota bile et iracundiae affectu accedente excluſa. Non ſane ſatis hic laudare poſſum Cl. *Iunckeri* animaduerſiones, magnum periculum quod inde aegro imminet quam accuratiſſime complectentes. *Si euacuatio illa*, inquit, *ſuſcipitur ſtatim quando bilis in inteſtinum duodenum effuſa eſt* (igitur fere ſcopo prophylactico) *tum ſalutarem poteſt edere effectum, quando autem ſero vocatur Medicus, nemo peritus ſuadebit materiem mora acriorem factam et cauſticam deorſum ducere per inteſtina, quia vias aggrediendo pylori, ventriculi, et inteſtinorum inflammatorium ardorem exacerbaret. Veteres iam talem materiam fraeno*

15) Loco cit. p. 164.
16) Cap. de cholera.

raeno potius egere cenſebant, quam ſti-
ulo, loco ergo huius methodi ambiguae
t periculoſae ars hic plus potens quam
atura debet qualitatem materiae peſſi-
nam corrigere, eneruare, demulcere ci-
ra partium exagitationem. [17]) Sane
pſe ego expertus ſum doloriſſimam quar-
o morbi die operationem a rhabarbaro
deo alias innocuo, ad quod capiendum
tribus medicis amiciſſimis mihique
ptime cupientibus adigebar; quamuis
orte adhuc inueniret in inteſtinis quod
bſtergeret, cui tamen fini iam inſeruie-
bant potulenta varia humectando et de-
nulcendo ſimul agentia, quae tuta et ſa-
ubria omni morbi tempore, et in omni-
bus ſubiectis, vices purgantium ſubire
poſſunt. Quodſi acrimonia bilioſa non
it alcalica, ſed ob ingeſta potius acidum
rodens illi inſit, locum omnino in prin-
cipio habet decantata magneſia, ſatque
tuto exhiberi largius poteſt, cum absque
omni ſtimulo agat, ſecus ac rhabarbarum
et manna, atque ſimul acidum potenter
inuertat. Cuiuscunque autem indolis
fuerit acre irritans, ſat immodicis eua-
cuationibus iam praegreſſis, etiamſi pri-
ma et ſecunda morbi dies nondum ela-
pſa ſit, cauendum ne quicquam porriga-
tur quod aluum cieat, quia longe alia re-
media tum indicantur.

S 4 §. 24.

17) Tab. LXI. p. 504.

§. 24.

Clysmata. Relicta de purgantium vſu tractatione, recta via deducor ad conſiderationem clyſmatum, quae modo blanda et mitia fuerint, ſine praeuia multa deliberatione, ac non ſaltem cum maiori ſecuritate quam purgantia, ſed et in eosdem fines ac illa, imo vero in alios plures nobilioresque, in vſum vocari poſſunt. Id equidem negari nequit, quod iniecta qualiacunque enemata locum affectum quem ventriculum et duodenum conſtituere antea euici, immediate haud attingant, cum vltra valuulam Bauhini non penetrent. Quodſi igitur ſine eorum, ac illius loci mutuo contactu, nullum emolumentum ab iisdem poſſet concipi, id et in hoc morbo omnino ſtatuendum foret, de eorum vſu, quod de iis in curatione dyſenteriae biliosae, ſed minus recte, opinor, ſtatuit *Degner*, qui hanc ipſis curare velle abſonum eſſe affirmat, quia ad fontem mali haud perueniant.[17]) Illud certe ipſe aeger ego accuratiſſime perſenſi, eo haud adſcendiſſe iniectorum in inteſtinum rectum clyſmorum medicamentoſam virtutem, vbi vis morbi ſuum nacta erat habitaculum. Interim quanquam vix vnquam hanc ipſam ob cauſam, ſenſibilem ſtatim fructum inde me

17) De Dyſenteria bilioſa c. V. §. 31.

me percepiſſe mihi viſus ſim, aſſerere tamen nullus audeo, ſine fructu illa mihi iniecta eſſe, aliisque aegris ſine eo iniici. Si per coli cauum fluctuans recto imiſſus latex medicamentoſus, illud ſufficiente copia bonam partem adimpleat, atque per aliquod tempus in eodem commoretur, debet omnino colon multo propius, ac turgida decocto emolliente veſica bubula, abdomini in variis eius morbis ex Practicorum celebrium conſilio applicata, vicinum ventriculi fundum et adiacens duodenum et ieiunum fouere, halitusque beneficos his partibus impertiri. Vel hoc ſolo ergo intuitu laudanda erunt clysmata, quodſi vero inſuper conſideretur a ventriculo vsque ad rectum vnum excurrere licet mire inflexum continuum canalem, vnam eſſe vbique fabricam, arctiſſimam vbique eſſe fibrarum, membranarum, vaſorum, neruorumque communione, et conſenſionem, ſtatim intelligitur, vt cauſa quaedam mortifica ſiue hic ſiue alibi in hoc canali haerens, omnem totius functionem magis minusue iminutat, et peruertit, ita quoque virtutem alicuius remedii, ſiue hanc ſiue aliam canalis plagam proxime attingat, functioni perturbatae maius minusue auxilium allaturam, idque innumera in praxi phoenomena edocent. Haec omnia quando ita

ſeſe habent, nemo iure dubitaturus eſt, de clysmatum magna diuerſis reſpectibus efficacia in cholera, licet ipſum duodeni cauum tota ſua ſubſtantia ingredi nequeant. Ac primo quidem conſtare debet, quemadmodum ingruente malo vomitus adiuuandus et leniter promouendus a medente eſt, vt cauſa eum proritans ſimul ipſo hoc motu eiiciatur; ita quoque cum eadem cauſa deorſum vrgens deiectiones cieat, has quoque leniter iuuandas eſſe, cauſaeque euacuationem per inferius guttur arte eſſe accelerandam. Multum boni prae laxantibus aluum caute ſemper adhibendis, tum pollicentur clysmata blanda, eluentia, ſingulis horis vt pro cita medela impetranda vult *Pitcarnius*, [2]) vel alternis iniicienda. Talia ex emollientibus oleoſis, ſero lactis, additis oleis preſſis mollibus, ad alui ſucceſſum promouendum egregie inſeruire, atque eapropter crebrius in vſum trahenda eſſe cum Pitcarnio praecipit *Hoffmannus*, [3]) vtque humores acres foras eliminentur, plura enemata ex ſolo inſulſo pulli iuſculo commendat *Sydenhamus*. [4]) Dum vero ita ſine nouo ſtimulo ipſis addito eluuntur inteſtina, ſimul reuulſio a ſuperioribus impetratur, motusque

2) Element. med. l. c. p. 166.
3) L. c. p. 588.
4) l. c.

tusque periſtalticus leniter deorſum incitatur. Minuitur itaque ipſius inuerſio ſurſum tendens, ac vomitum cieris, contingensque per eum permoleſta et difficilis excretio, promota aluina minoribus incommodis ſtipata, pauliſper refraenatur, ac cum ipſo vomitu cardialgicae anxietates magis tolerabiles redduntur. Ad hoc momentum attendens Abrah. *Vater* [5]) *clysmis*, inquit *ex lacte, iure carnium decocto hordei, ſero lactis, addito ſacharo et vitellis ouorum, attemperantibus, diluentibus leniter abſtergentibus, et vacuantibus noxiae materiae ſine incommodo, et magno ventriculi et totius corporis alleuamento ad inferiora ducunt, et emittuntur.* Eadem ratione Parens Chriſt. *Vater talibus clyſteribus abſtergentibus ventriculum a magna humorum acrium ſaburra oneratum et quaſi ſubuerſum liberari, humoresque deorſum duci* ſcripſerat. [6]) Verum praeter commodam euacuationem cauſae per aluum, inhibitionemque minus commodae euacuationis per vomitum, etiam ipſa energia cauſae non ſtatim prorſus eliminandae, eneruari multum poteſt clyſteribus, dum ex lenientibus, glutinoſis, farinaceis demulcentibus, et oleoſis, parati ipſam ancleatam et pungentem acrimoniam retun-

5) §. 18.
6) §. 23.

retundunt, et inuoluunt, ac inteſtinorum parietes inungunt, et inuiſcant, vt a roſione et lancinatione aliquantisper defendantur. Huius ſcopi inter alios non oblitus, *Sydenhamus* non ſaltem vt eliminaretur ſed et vt retunderetur atque vt ad debitam temperiem reuocaretur acrimonia, ſuum pulli iuſculum pro clysmate collaudat. [7]) Quis vero iam non videt vltro? deſideratiſſimum etiam hac ratione dolorum et cruciatuum lenimen impetrari, ab eiusmodi enematibus, namque ſi acre irritans iners reddatur, fibroque neruoſae ſtrictae et criſpatae relaxentur, ſtatim minuitur, dolor, hincque eſt quod ſimplicem aquam hordei tepidam ano iniectam, ad educenda excrementa et morſum inteſtinorum mitigandum merito commendare potuerit *Piſo*, [8]) cui fini tamen decoctum ſeminis lini contuſi, altheae, maluae cum lacte vel oleum oliuarum et amygdalarum adhuc magis inſeruiet. Sed et dum ope clysmatum cum doloribus mitigandis res eſt, pro eorum materie interdum non ſaltem acre inuoluentibus et ſtrictos villos relaxantibus, ſed et ſimul in ſenſum agentibus, eundemque obtundentibus remediis vtendum eſſe conſuluerunt Practici Clariſſimi atque propterea narcotica

7) Loco cit.
8) Lib. III. c. 13. p. 75.

cotica ipsis indenda esse praeceperunt. Laudandus ex hoc capite mihi venit *Riuerius*, [9]) qui clysteribus pinguibus, et lenientibus ex lacte, oleo rosarum, butyro insulso, vel ex decocto pulli, carnis vitulinae, et vitellis ouorum vrgente affectu narcotica immiscenda esse vult; Neque inter alios quos nominare poteram reticere volo *Ettmullerum*, [10]) theriacam Andromachi adiici clysteribus eiusmodi cupientem, quam methodum valde in praxi sua amat *Ridley* atque in dysenteria speciatim commendauit *Sydenhamus*. Hac vero opiatorum iniectione cum clysmate, non saltem minui dolores, sed et motus excretorios sopiri clarum est, quod ipsum si tempestiue fiat vtile omnino aegro, sin minus valde noxium esse, poterit, qua de re in sequentibus quando in anodynorum vsum sensim inquisiturus sum, prolixius agam. Pro sistendis autem excretionibus speciatim quoque clysterum adstringentium, cum vel sine anodyno, mentionem iniectam legas. Si aluus actis agendis adhuc egerat, amylum cum decocto papaueris per clysma infundendum, aut clysma ex decocto rosarum, acacia, et capitibus papaueris ex consilio *Aetii*, [11])

et

9) L. c. p. 287.
10) In Pr. l. c.
11) Tetr. III. serm. I. c. 12.

et *Pisonis.* [12]) Eadem vero hic cautela ac circa anodyna opus est, vt iusto tempore talium fiat applicatio, id quod de tonicis roborantibus et adstringentibus ex instituto acturus, clarissime exponam. Sed nulla intentio medici in commendatione clysmatum dignior, quam praecavere imminentem, vel praepedire nascentem, aut soluere natam inflammationem intestinorum, sine qua vix cholericorum quispiam fatis cedit. Spondent huius indicationis impletionem eamque praestant egregie, nisi morbus sit exquisitissime malus, obstruens attenuantia et diluentia, acre inuoluentia, strictum relaxantia clysmata varia, hactenus laudata, atque denuo dum ad implendas tot indicationes therapeuticas collineant, cum cura commendari hoc loco merentur. Sine dubio de aestu interno inflammatorio de quo anxie querentes aegros audiebant, ocyus restinguendo solliciti fuerunt boni quidam viri, quando herbas saponaceas et varia benigniora acida, in apparatum eorum, quae clysmatibus conficiendis inseruirent, recipi voluerunt. Sic praeter alia enemata clysteres etiam ex oxycrato plurimum conferre vel ex decocto lactucae portulacae, plantaginis addito aceto et syr. de nymph. affirmauit cum sequacibus *Riuerius* veteres in alio-

rum

12) Loc. cit. p. 77.

rum morborum calidorum medela similia laudantes imitatus. Neque tamen negaverim, haec talia quoque ad temperandum corruptae bilis mordax et rodens ingenium commendata legi, non certe absono consilio, modo aliae morbi circumstantiae haud contraindicent, de quibus paulo post sub acidorum consideratione, nonnulla edisseram.

§. 25.

In specie terebinthinacea.

Antequam hoc argumentum possum deserere de clysteribus terebinthinaceis paucula mihi adiicienda sunt, cum eorum mentio dum de proprii morbi medela agebatur, iniecta sit, ac in dysenteria cholerae affini non raro illi laudari a practicis soleant. Terebinthinam valde penetrantem custodire acrimoniam, oleosa visciditate cui inest, pertinacius adhaerentem, partibus nostri corporis, quibus applicatur, vsuque interno et externo stimulare villos vasorum, vrgere sanguinem, calefacere, atque eapropter ex suo ingenio frigidis, lentis, mucosisque morbis magis congruere, quam iis qui a sanguine multo, commotoque, et phlogistica eius diathesi pendent, nemo opinor facile negauerit. Haec quoties fui contuitus, toties fateor miratus sum, qui factum sit, vt in dysenteria fortiter irritatis et si necauerit fortiter inflammatis

tis inteſtinis, aptum remedium ea iudicata vnquam fuerit, cum irritandis magis, et inflammandis apta haberi potius debuiſſent. Neſcio an incautos in eiusque adhibitione fefellerint acuto ferro patratae punctorum, disſciſſorum, et ſemiſectorum tendinum, neruorum, membranarumque neruoſarum laeſiones, quibus omnibus pulcherrime conuenire terebinthinam, et ex eo parata, ſi calide loco affecto applicentur, certum eſt; tum enim dolor intenſiſſimus feliciter leuatur, inflammatio cauetur, atque vulnus elegantiſſime conſolidatur. Nata forte per chirurgica haec Phoenomena velox concluſio, et in interioribus ſi nervoſa loca acribus ſtimulis quaſi tot acutiſſimis lanceolis puncta, ſciſſa, lacerata fuerint, vt in dyſenteria, neruoſae inteſtinorum tunicae eundem proſperum effectum expectandum fore, a terebinthinaceorum applicatione. Sed non bene valet iſta conſequentia, etenim topica externa longe aliud quid praeſtare toties animaduertimus, quam interna humoribus noſtris altius immiſta alcoholis, camphorae, aliorumque exemplo. Siue vero veritati repugnet mea hac in re ſuſpicio, ſiue minus, caſtiſſima experientia aliud quid edocet, quicquid fautores contradicant; namque remedium quod intus aſſumtum aeſtum, dolorem, ardo-

ardorem vrinae, genitaliumque pruritum ad iniussam vsque seminis liquorisque prostatarum emissionem ciet, non bene quadrare obseruatur morbo inflammatoria diathesi fere semper stipato, qualis est dysenteria. Desinit haec quandoque in morbum alium, atque vbi iam deferbuit cum sua febre, relinquit in intestinis foedum vlcus, atque in hoc casu solo, et permitti potest et laudari debet terebinthina, vt alia balsamica detergentia et depurantia exotica pretiosiora, spiritu rectore nobiliore praedita, sed ipsi analoga et prae ea nil praerogatiuae in vlcerum therapia habentia. Ita prorsus certe, vt in gomorrhoea virulenta, si in primo morbi stadio vrethra rubente, pruriente, calente, phlogosi, dysuria laborante, intempestiue exhibeatur terebinthina, omnia haec mala augentur, incensis subinde enormiter et in gangraenam tendentibus genitalibus; e contra autem his malis per alia congrua remedia superatis, relicta interna vlcera in secundo vel tertio morbi stadio per ipsam terebinthinam commode deterguntur et consolidantur, ita prorsus inquam durante in dysenteria intestinorum phlogosi abesse debet terebinthina, soli vlceri superstiti persanando inseruiens, febre penitus consopita. Valde gauisus sum postquam magnos errores committere

tere praxin triuialem in ſananda dyſenteria per terebinthinaceos clyſteres expertus eram, cum mecum ſentire deprehenderem Cl. *Degnerum.* *Olibarum,* inquit *Myrrha*, etc. *nec non terebinthina, in vera noſtra dyſenteria ad ſanationem vix vnquam laudabilem effectum praeſtant, vbi vero affectus degnerauit in vlcus, inteſtina conſolidandi et cicatricem obducendi ſcopo locum habere poſſunt.* [1]) Monuerat vero antea eo tempore malum non amplius vt dyſenteriam ſimplicem, ſed tanquam foetidum inteſtinorum vlcus conſiderandum eſſe, quando haec talia locum haberent. [2]) Praeterire et diſſimulare nequeo Magnum *Boerhaauium* nihilominus in dyſenteria laudaſſe terebinthinam in clyſtere applicandum, [3]) verum eſt; attamen ſpeciatim non ad ipſum morbum verum, ſed ſaltem ad vrgens ſymptoma tenesmum. At ab eodem fere immunes ſunt qui cholera laborant, quorum gratia haec omnia retuli, atque praeterea per ipſa dogmata Boerhaauiana ſi phlogiſtica diſpoſitio recti et coli fuerit dyſentericis, cum manifeſta febre, abeſſe quoque quam longisſime

1) Cap. 5. §. 24.
2) Cap. III. §. 81.
3) In conſilio pro dyſenteria caſtrenſi quod legitur in conſultationibus ab Ill. de Haller editis.

ſime debebit ipſa terebinthina. Solum conſilium Illuſtr. *Hoffmanni*, 4) qui Autor eſt vt in ſubiectis tenerioribus, aetate iuuenili, tempore aſtiuo, temperatura cholerica, parciſſime vel plane non terebinthina adhibeatur, mea ſententia ſat graue habendum, quo minus in cholera bilioſa aeſtiua, febrili mouens hoc et calidum remedium aegris inteſtinis applicetur.

§. 26.

Hactenus de euacuantibus remediis verba feci, licet praeter euacuationem clysmatum quoque multiplex alius poſſit eſſe vſus, vt ex allatis prolixe conſtitit; iam de alterantibus morbi materiem nonnulla exponere iuuat. Prodeant inter ea primo loco blandiora acida, a multis ſcriptoribus grauibus eo reſpectu collaudata. Salua vero omnium auctoritate ſponte intelligentibus manifeſtum fore autumo, illa promiſcue omnibus aegris cholera affectis, omnibusque ſpeciebus cholerae ſanandis neutiquam conferre, atque ſi vbique permitterentur, quod aſſerere ego quidem nullus auſim, in illis minimum caſibus locum non habitura eſſent, quando morbus ipſe a cauſa manifeſte acida proficiſcitur, atque ſuſtenſtatur. Non neſcio aquam ſimplicem *Acida.*

4) Diſſ. de terebinthina cap. III.

tepidam leniter acidulatam, aut oxymelle permiſtam, largiterque epotam referri iure, ad generalia venenorum fere omnium antidota, talemque acribus venenis deglutitis ſpeciatim arſenico prudenter opponi, ſique ab eo forte nata eſſet cholera, laudabile pharmacum audire poſſe. Mallem tamen nihilominus eiusmodi aegritudini curandae pinguia et oleoſa deſtinare, ſatis certus multum praerogatiuae his eſſe praepotulentis acidiuſculis, non aeque prorſus demulcentiſſimis ſine tantillula virtute irritante, ſed vt illa, ſed ſtimulo aliquali omnino praeditis. Nulla autem ſine dubio magis conueniens occaſio exhibendi acidula pharmaca aegris cholericis datur, quum vbi a bile eademque in veram alcalinam corruptionem ruente, nullo ipſi admiſto acido laborant, aut forte ſolis nidoroſis cruditatibus affectus natales ſuos debet. Atque hoc ipſum probe cognouiſſe Autores Practicos ex eo apparet, quod plerique acidula pharmaca commendantes, cauſam acrimoniam biliosam ſemper adiiciant, quamuis et non deſint, qui ſine reſpectu ad cauſam ſpecialem talia in genere laudibus extollunt. Praeter cauſam vero hanc nonnulli ad effectus eius magis attendunt, natisque ſymptomatibus vrgentibus aeſtui, inflammationi, ſiti, acidiuſcula blanda deſtinant, neque certe praeter

rem,

rem, cum omnibus morbis febrilibus inflammatoriis calore intenſo, ſitique ſtipatis illa ipſa conſentientibus medicis praeſtantiſſimis, magno cum fructu ſoleant opponi. Multorum ſcriptorum votis collectis inſtructiſſimus *Piſo* mali punici acidum ſuccum aquae inſtillatum, ſyrupum ribeſiorum, acetoſitatis citri, malorum punicorum, granatorum, cholerae remediis annumerat. [1]) Indolem autem aegritudinis exactius determinans *Sennertus* [2]): *Si materia bilioſa ſit*, ait *aegerque valde ſitiat et aeſtuet, vtilia ſunt limones, mala citria, ſuccus citri portulacae, agreſtae, ribeſiorum, berberum conſerua roſar. vitriolata.* Et qui adeo ſaepe *Sennertum* ſecutus eſt *Riuerius* aegram cholericam habet, [3]) cui cum bilioſa multa excerneret, dum alia interim remedia parabantur, ſuaſerat vt *Oxycranti* cyathum epotaret cuius ita efficax fuit operatio, vt vomitus et alui fluxus ſtatim cohibitus fuerit, aliisque remediis, allatis ex aegrae ſententia, non opus eſſet. Si magna ſit humorum putreſcentium copia, potulentis ſyrupum limoniorum et acetoſae addendum quoque conſuluit Pitcarnius, [4]) atque in

1) Lib. III. c. 13.
2) L. c. p. 165.
3) Obſeru. Cent. IV. obſ. 8.
4) Lib. II. c. 18. §. 27. element. med.

India calido ſub Ioue *Bontius* in cholerae curatione recentium limonum ſuccum praeſtantem deprehendit. [5]) Praxi numeroſa celebris *Lentilius* habet puluerem ſcretae ad choleram humidam quem cum abſorbentibus, adſtringentibus, et nitro criſtalli tartari ingrediuntur, huncque purgato corpore puluere cholagogo ex rhabarbaro et cremore tartari, cum ſucco acido, ribium, berberum, ceraſorum acidorum, exhibitum, eloto ſimul ex conſilio *Sydenhami* per pulli iuſculum canali inteſtinorum prompte ad domandum periculoſum hunc affectum inſervire contendit. [6]) In cholera a ſumto veneno, vel mota hypercatharſi aut hyperemeſi, acidula remedia quae ad caſtrandam vim veneni mirifice inſeruiant, vt miſturam ſimplicem, ſpiritum vitrioli dulcem, nitri dulcem laudat *Hoffmannus.* [7]) In dyſenteria bilioſa quam ipſe cholerae alibi ad latus ponit, ſuccum citri condimenti loco omni cibo et potui ad gratiam ſaporis admiſcendum curauit *Degner* cum fructu, *acida enim blanda*, inquit *veneno bilioſo reſiſtunt, eiusque ſpicula alcalina infringunt, ſitimque ſimul reſtinguunt, nec adeo reformidanda ſunt vt quidam autu-*

5) Med. Ind. pag. 70.
6) Miſcell. Med. Pr. Part. III. p. 85.
7) Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 589.

autumant. [8]) Abrahamus *Vater* pro potu ordinario in cholera commendat aquam hordei cum ſyr. de toto citri, acetoſit: citri, vel granatorum. [9]) Denique in fluxibus alui bilioſis et cholera elegans etiam eſt conſilium quod ſuppeditat de *Gerter.* [10]) *Conducit bilem eliminare purgante aceſcente ſaponaceo, et dein compeſcere egeſtionem per acida bilem tenuem et acrem compeſcentia.* Ita quidem ſummorum virorum commendatione nititur vſus acidiuſculorum in cholera, quos inter miror me inuenire quoque *Iunckerum* ad materiam ac rem cauſticam temperandam ſuccum citri, ſyruposque berberum, ceraſorumque acidorum collaudantem, [11]) cum tamen illam ſemper acido-bilioſam ſtatuat. Interim tamen notabile eſt *Sydenhamum* de acidis remediis quae alioquin in praxi ſua bene applicare nouerat, hic tacere penitus, ſoloque macilento pulli iuſculo, pro corrigenda acrimonia contentum eſſe. Sane audacis omnino et impudentis eſſet, tot praegnantibus teſtimoniis non obſtantibus, acidorum vſui in cholera interdicere, ſi morbi ingenio et indiuiduali aegrotantis conſtitutioni prudenter ea

8) Cap. V. §. 77.
9) Diff. pag. 30.
10) Med. Hippocrat. lib. III. aph. 30.
11) pag. 502.

accommodentur. At vero nihilominus maxime placet, quod occaſione pueri quatuor annorum, ex eſu ribeſiorum, cholera demortui, dicit *Lentilius*, *hae baccae ob facultatem adſtringentem* (addo ego acidam) *ad choleram hinc inde commendantur*, *quod vero cum grano ſalis eſt accipiendum.* [12]) Scilicet limitandas eſſe valde vires medicatas acidulorum remediorum in cholerae medela, atque non ſine cautione et intelligentia eadem ſuaderi debere, probe conſiderata cauſarum differentia edocet. Conuictiſſimus ſit Medicus oportet, neque ab ingeſtis actu acidis, aut in acidam corruptionem abire aptis, malum fuiſſe excluſum; neque in excretis vomitu, vel egeſtis aluo adeſſe vlla ſigna acidam ſaburram loquentia, ſed ſolam nidoroſam cruditatem, alcalique putridum peccare, antequam remedia acidiuſcula ſuadeat, aliter enim morbo ipſi nutrimentum ſuppeditaturus eſt, resque aegri certiſſime in deterius ruere faciet. Quodſi vero etiam merum rodens alcali ſubſit, acido ſufficienter ingeſto omnino ſuperandum, multo iudicio practico ponderandum erit, an illud huius occurſu ſit ſuperabile, antequam ſmegmate omni mucoſo quod villoſam tunicam obducit, ſtricturis et excretionibus excuſſo, detracta quaſi ſua veſte natu-

12) Eteodr. p. 555.

naturali, haec denudata iniuriis cuiusuis acrimoniae in villos ſuos neruoſos acturae ſit expoſita. Hi nimirum tum tegmine ſuo orbi, ſtimulum quemuis acutius ſentientes non ab alcalica tantum acrimonia criſpantur, ſed ab acido etiam quantumuis blandiore aeque vellicantur, imo vero ſi ab vtriusque concurſu alius naturae ſal emergeret, non minus eius irritantibus puncturis, male adficerentur. Haec ſi forte lecturorum aliquibus nimis ſcrupuloſa videatur cautio, operae pretium erit perpendere ſummam in hominibus bene multis, vt hypochondriacis et hyſtericis, ventriculi et inteſtinorum delicatulam irritabilitatem et mobilitatem, cui adeo dum nondum aegrotant, ſuccus citri et acetum non ſunt adiaphora; ſed tales quam maxime inteſtinorum morbis ſubiacent, iisdemque grauius affliguntur. Ego certe nimis expertus noui, meum nomen ingredi miſeri huius generis mortalium catalogum, neque cum exquiſitiſſimos dolores a putri bilioſo paterer, acida antidota tuliſſem, leuiſſimis et dilutiſſimis acidiuſculis et aliis leniter acriuſculis ferendis penitus impar. Doleo vero multum, mihi tum temporis in memoriam haud veniſſe blandiſſimum acidum, blandiſſimo oleo inuolutum in ebutyrato lacte, quod ſi vllum aliud remedium, acrimoniae bi-

 lioſae

liosae alcalinae inuertendae et obtundendae conuenientissimum hic habeo, eius egregiam virtutem in aliis ab hac causa morbis saepiuscule edoctus. Atque hoc acidum benignum natans in pinguitudine lactis, multum praefero aceti acido, per mel admistum mitificato quamuis haud subscribam sententiae Cl. *Iunckeri*,[13]) qui oxymel Hippocrati laudatum biliosam acrimoniam non infringere, sed eam potius per talia fermentantia notabiliter augeri scribit, et quidem eapropter, quia biliosam acrimoniam acidae naturae esse statuit. Mel sane bilis alcalicum stimulum salino suo et fermentante ingenio non iuuat et intendit, interim eodem ipso non secus ac mannata quae *Hoffmannus* in cholerae curatione abesse vult,[14]) stimulum inferre exstimulatis iam aliunde intestinis, maioresque in iis turbas excitare atque deiectiones plures causari potest. Igitur tum minimum oxymel non bene permitti credo, quando nulla euacuatione vlteriori, sed saltem alteratione humoris peccantis opus est. Idem de syrupis subacidis quibuscunque oxymelli non absimilibus dictum volo.

§. 27.

13) Tab. LXI. p. 502.
14) Tom. IV. Part. III. p. 593.

§. 27.

Iisdem autem encomiis, quibus acida remedia in sananda cholera cohonestantur ab Autoribus, etiam adfecta legas ipsis alioquin contraria ant-acida absorbentia, quod quidem obiter attendentibus paradoxum omnino videri poterat. Neque etiam dissimulari potest, minus apposite vt illa, ita quoque haec quandoque vocari in subsidium, quanquam vsus eorum intempestiuus verum et rationalem vsum neutiquam excludat. Scilicet ad hunc diem non desiit nimia et ad superstitionem vsque extensa Practicorum fides, quam in absorbentibus ponunt, dum polychresta et tantum non in omnibus morbis indicatissima a multis habentur pharmaca. Perperam quippe, dum saepe nihil agendo etiam nil nocent, id saepe ipsis acceptum refertur, quod vi vitae soli non turbatae debebatur. Non dolerem, meas ab hoc praeiudicio diu liberi olim peculiari tractatu publicatas castigationes seueriores, (quibus quidem non pauci eruditissimorum Medicorum calculum suum adiicere dignati sunt,) nondum tamen absorbuisse ridiculum toties vsum absorbentium, si saltem quando gratis multis nobilibus finibus in medendo ea destinantur, omittendo meliora non peccaretur grauiter in

Absorbentia.

in ſalutem decumbentium. Credo conuictus, non raro eiusmodi delicta committi apud aegros cholericos, quando per vulgare praeiudicium ſine rite indagata cauſa, ſine remedii viriumque eius iuſta notitia, ſimplex aſylum quaeritur in vſu abſorbentium. Laudat cornu cerui vſtum, lapidem bezoar, raſuram cornu rhinocerotis, atque margaritas praeparatas Bontius, [1]) neque ſatis exponit in quem finem. Adhibenda vult Chriſtianus *Vaterus* quae aeſtum acrimoniam et motum nimium humorum temperent, atque hoc praeſtare dicit ſelectiora abſorbentia et bezoardica fixa. [2]) Monſtraui vero luculenter in *examine* meo *terreorum*, ea nec motum acceleratum humorum, nec inde pendentem aeſtum minuere, atque quod acrimoniam ſpectat, determinandum antea erat, eius ſpecificus character, antequam abſorbentia tanquam eius antidota poſſint admitti, namque non omnem ſine exceptione acrimoniam temperare valent. Aegro ſuo cholerico quem deſcribit, exhibuit olim puluerem ex nitro et abſorbentibus Illuſtris noſter de *Helwich* [3]) ad corrigendam materiam acrem calidam, ad bilem temperandam, et quaſi coagu-landam,

1) Med. Ind. p. 70.
2) Diſſ. §. 22.
3) Hiſt. Mort. Vrat. 1702.

landam, et inflammationem praecauendam. Nil quoad has intentiones derogo ipſi nitro, abſorbentia vero ne hilum ad eas explendas facere ſcio; bilis vero coagulationem non bene capio. Curioſum eſt *Lentilium* [4]) vno puluere exhibere criſtallos tartari et lap. cancrorum, non prudenter opinor compoſito; namque impoſſibile eſt, vt acidum et antacidum remedium vno eodemque tempore conueniat; ſemper vnum ex binis erit aut otioſum, aut noxium. Sufficienter euici, abſorbentia quicquid boni agunt in corpore humano aegro, vnice agere deſtruendo in primis viis acidum, eaque propter non poſſum probare vnquam vſum eorum in ſanatione cholerae, quam vbi manifeſte eadem a cauſa acida proficiſcitur; ſiue ſola peccaverit ſaburra acida, ſiue ſub vllo bilioſo latens ſuam praeſentiam ſuis notis prodat. Talis vero omnino peccat in cholera infantum, a lacte acido cum bile remiſto oriunda, quare praeſtantiſſimam opem tum adferunt terrea abſorbentia, largius cum aliis congruis remediis adhibita, puſionesque morti proximos moeſtis parentibus ſaepe reddunt. Atque rebus ita comparatis etiam apud adultos plaudo et ſubſcribo lubens Praeceptori *Hoffmanno* quando ad ſuccos bilioſos,

4) Miſcell. Med. Pract. III. p. 85.

liosos, mordaces, corrosiuos, pro celeri et efficaci auxilio vtendum praecipit pulueribus absorbentibus, cum pauxillo nitri singulis horis, ad drachmam vnam cum emulsione amygdalina, aut ex oleo amygdalarum concinnata. [5]) De vehiculo hoc alibi dicam, quoad absorbentia vero credo hic loqui optimum Virum, de mordacitate et corrosiuitate vere acida, vt in antecedentibus de eadem locutus erat. Namque expressis verbis, paulo ante ad obtundendam in febre cholerica acrimoniam acidam, causticam, succorum biliosorum spectatae virtutis esse pulueres absorbentes scripserat, ex lap. cancrorum matre perl. conchis etc. [6]) Atque vbi alio tomo operum suorum de cholera exponit, si ab assumtorum nimia quantitate, cibisque fermentescibilibus cum bile in acerrimum magma abeuntibus malum propullulauerit, absorbentia varia laudat, [7]) licet iis addat nonnulla quae vere non absorbent, succinum e. g. et puluerem Marchionis. Sane si a fructibus horaeis copiosius ingestis, si a musto et vino nouello, horumque fermentatione in ventriculo et intestinis morbus obortus fuerit, absorbentia non saltem tanquam ant-acida, sed

5) Med. Syst. Tom. IV. Part. I. p. 356.
6) l. c. p. 351.
7) Tom. IV. Part. III. p. 588. 589.

ſed ſimul tanquam praeſtantia anti-zymotica tempeſtiue exhibita illum mox in principio domare valent. Atque in his caſibus, talia cum vel ſine ſalibus alcalinis abſynth. tartari, vtpote fermentationem prompte cohibentibus, admiſtisque opiatis conducere rectiſſime ſcribit *Ettmullerus*. [8]) Pertinet huc cholera illa praegreſſo iracundiae affectu a ceraſis et fragis copioſius ingeſtis orta, atque iure pulli et puluere ex abſorbentibus ad drachmam vnam ſingulis bihoriis porrecto ab Illuſtri *Hoffmanno* cito perſanata. [9]) Neque tamen credo opus eſt, vt in vno eiusmodi puluere curioſius ſelecta tria quatuor et plura inter ſe miſta exhibeantur abſorbentia, vnum quippe ex iis ſufficit, licet quemuis abundare ſuo ſenſu lubens conceſſerim. Poſſunt quoque qui magneſiam amant locum ipſi valde opportunum hic facere, dummodo nil ſingularis prae aliis omnibus ant-acidis fixis in eadem hoſpitari aſſeuerent, quod hactenus ego quidem inuenire nequiui. Neque video quid ſpecifici latitet in criſtallo montana, quam poſt *Cratonem Langius* [10]) praeſentiſſimum in cholera remedium habet. Placet potius quod de eadem notat *Iunckerus* concrementa talia

8) Cap. de cholera.
9) Tom. IV. Part. I. p. 364.
10) Lib. III. Epiſt. I.

talia quae ex ſtanni fodinis erui ſolent, non tam ſimplicem effectum abſorbentem, quam potius ſtypticum ſcopo curationis ſubinde contrarium exerere. [11]) Verum enim vero quamuis teneriora et in pollinem ſubtiliſſimum redacta abſorbentia, vbi vere acidum peccat, pulcherrime ſe gerant, fruſtra tamen ea omnibus alius generis acrimoniis in triviali praxi opponuntur, mediocribus medicis perpetuo inſuſurrari debet, quod diu in exilium abierit pathologia acida, quodque noſtro aeuo acidum et acre non ſit idem. Inanis omnino labor eſt bilem acrem non acidam, ſed alcalicam putridam quae vt aliquoties monſtratum eſt, peſſimas quandoque choleras excludit, abſorbentibus cicurare velle, quamuis id ſatis vulgare in praxi habeatur. Nihil hic valet vniuerſus terreorum exercitus, ipſeque in determinanda natura acris cauſtici климоſi fere fluctuans, atque ad ipſius alterationem abſorbentia laudans *Iunckerus* [12]) tamen profitetur libere, quod fruſtra eidem abſorbentia et praecipitantia opponerentur, ſi alcalicae eſſet indolis. [13]) Satis vero certum eſt, in alcali vergere bilem, ſi propriam ſibi ſequatur corruptionem, ſique nil peregrini ipſi maiori

11) Tab. de cholera p. 506. no. 24.
12) Pag. 502.
13) Pag. 507. no. 28.

maiori copia fuerit admiſtum; clarum igitur ſponte euadit, inanem tunc eſſe vſum abſorbentium. Neque valorem aliquem hic nanciſci poterit praetextus eo in caſu ſaltem nil nocitura abſorbentia, ſi forte nil iuuerint, vt enim omiſſionem culpabilem indicatorum pharmacorum taceam ipſam molem terreſtrem ſi acido obuio non ſubigatur, preſſu ventriculo noxiam poſſe euadere, libro a me edito vrſi plus ſimplici vice. Atque ſpeciatim in cholera abſorbentia terrea calciformia propter grauitatem ventriculum alias iam grauiter afflictum offendere, et malum augere poſſe, niſi magna cum circumſpectione dentur, prudenter annotauit Chriſt. *Vaterus*. [14])

§. 28.

Progredior ad demulcentia et incraſſantia quibus vera poteſtas ineſt, omnem qualemcunque acrimoniam obtundendi, et inuoluendi, ac eius actiuitatem inhibendi, venenaque adeo, ac illa irritantia cicurandi, quorum ingenium indiuiduale nec cognoſci, nec determinari accurate poteſt, quamuis eius effectus in corpore pateant. Volo hic omnia illa, quae viſcido et mucilaginoſo ſuo principio, aut oleo blandiſſimo, ſpicula pungentia remorari, atque irretire valent, quo mi- *Demulcentia.*

 nus

14) Diſſ. caut. VI.

nius ſua acie pungant, quaeque ita partes ipſas oblinitas a laeſione queunt defendere. Facile conſentiunt Practici omnes, talibus ſi vnquam alibi, certe in cholera vtendum eſſe ſtrenue, neque opus eſt, vt vllum eorum ſpeciatim teſtem in medium adducam. Vbique proinde vbi de cholera agentes euolueris, laudata inuenies infuſa et decocta emollientia atque lenientia varii generis, ſeminis cydon. mucilaginem, gelatinam C. C. et eboris, lac, emulſiones, oleum amygd. cremorem hordei, oryzae, auenae; iuſcula ex cancris contuſis, radice altheae, malua et ſimilibus, de quibus vbi de potu cholericorum acturus ſum, paulo ſpecialius diſſeram. Neque aliena a ſcopo hoc erunt Tragacantha, et gummi arabicum, decantata pertinacis ſtimuli arteriae aſperae, branchiis, viis vrinariis inſidentis, atque perpetuum excernendi conatum inferentis remedia, imo vero in ipſa dyſenteria pro eodem impediendo laudatiſſima. Pulchrum quoque medicamen praebet albumen ouorum recens cum ſacharo conquaſſatum, ipſeque vitellus aut oua ſorbilia falſo a *Boneto*, [1]) et aliis illius vitii inſimulata, ac ſi in bilem mordaciſſimam conuerterentur. Quod inane praeiudicium ne forte quempiam ab vſu reuocet adducere hic fas

1) Polyalth. Tom. II. p. 268.

ſas ſit ea, quae habet *Degner:*[2]) *Oua recentia*, inquiens, *ſola vel cum lacte admiſto parata non adeo reformidanda ſunt, ob vanum vulgi metum, ac ſi bilem magis augeant, cum potius egregium demulcendi et ſimul nutriendi praeſtent effectum.* Non ignoro equidem, oua detenta per aliquot dies in calore determinati gradus alcaleſcere, putreſcere, vt bilis, putrefactique oui pauxillum aptum eſſe ad producenda omnia ſymptomata quae Cholerici patiuntur. Igitur tanto magis conuenient in cauſa morbi acida, proderunt tamen etiam nihilominus in alcalica maximam partem excuſſa, praecipue ſi alia demulcentia non alcaleſcere apta interponantur exeſasque et laceras membranas interiores canalis alimentorum mirum quantum ſolabuntur. Quoad emulſiones et oleum amygdalinum velint in mentem reuocentur ea, quae in praegreſſa hiſtoria expoſui. Videtur equidem vna eademque eſſe illorum actio cum emulſio nil ſit niſi oleum aquae nuptum; quodſi vero conſideretur emulſionem quo magis tenuis fuerit eo magis ſponte aceſcere, oleum vero rancidum reddi, illam fracidae et putridae bili hoc peccanti rodenti acido, magis conuenire apparebit. Sed de hac re adhuc alibi.

V 2 §. 29.

2) Cap. III. §. 76.

§. 29.

Salia. Miror placere quibusdam bonis Viris ad alterandam materiam acrem etiam ſalia, quae ſuapte non niſi acrimonia irritante in villos vaſorum et membranarum agunt, eademque ſola ſuas in corpore operationes exequuntur. Pertinent ea alioquin etiam ad purgantia leniſſima, atque multoties quando in inteſtinorum canali ſtabulans ſaburra eliminanda, atque ex valuularum latibulis leniter excutienda eſt, ſine nauſea, ſine torminibus, id ipſum praeſtant, eaquepropter ſaepe fortioribus et reſinoſis optimo iure ſuo, in praxi praeferuntur. Factum eſt ſine dubio ob cognitam hanc ſalubrem operationem, quod praeter alterationem peccantis materiae viſcidae et acris, iisdem et in cholera finibus inſeruire eadem poſſe reputauerint nonnulli, urgentiſſimas contraindicationes non acuto ſatis iudicio ponderantes. Foeminae crebris vomitionibus, acerbiſſimis ventriculi cruciatibus, atque deiectionibus aluinis miſere dilaniatae, vt humores peccantes e ſuis conceptaculis educeret Cl. *Ridley* dedit miſturam celebrem riuerianam, [1]) ex ſale abſynth. et ſucco limonum, tribus vicibus, a qua ingens viſciditas acida reiecta cum leuamine quidem, ſed

1) Obſ. I.

ſed interiecto aliquo temporis ſpatio rem non adeo feliciter ſucceſſiſſe videns ad ius pulli clyſmata et opiata confugit. *Pitcarnius* etiam in hoc morbo ad inanes vomitus compeſcendos non dubitavit laudare miſturam ex aquis aromaticis cum laudano cui et ſal abſynth. indendum ſuaſit. [2]) Noui expertus eximios effectus remedii Riueriani, obiterque noto exhibitionis vitia a claris Viris commiſſa, et in quotidiana praxi committi ſolita, quando aut ſal abſynthii ſolum porrigunt, aut id cum ſucco limonum aquoſis potionibus addunt, cum tamen potior medela expectanda ſit, ſi in ipſo actu efferueſcentiae alcali et acidum ingurgitentur. Illo motu conflictuque ſalium in ipſum ventriculum agente motus periſtalticus inuerſus non raro optime inhibetur, ſimulque genito medio ſale abſterguntur ſordes cumulatae, plicisque inridulantes, atque inferiora verſus deturbatae aluo quandoque ſine moleſtia excluduntur, magno aegri leuamine. Verum accuratiſſime etiam ex mente Riuerii adhibitum hoc pharmacum ex binis ſibi contrariis ſalinis ſtimulis tertium producens non bene quadrat ſtatui ventriculi, quem apud cholericos obtinentem nobis ante oculos ſiſtere debemus. Exquiſitiſſima ſcilicet ſtomachi

 ſenſi-

2) Elem. Med. lib. II. c. 18. §. 29.

ſenſibilitas, et mobilitas, cruſta villoſa nuda, diatheſis inflammatoria non iuvantur ſalibus, ſed exacerbantur certo, ſique etiam acidum concentratiſſimum latitet in ventriculo, id hic non vult ſuum antidotum ſal alcali, ſed flagitat abſorbentia acrimonia omni orba, potusque demulcentiſſimos ſua dote naturali vlterius irritare nimis irritatos neruos nequeuntes: Ego quidem confidenter haec eloquor nil moratus conſilia medicorum qualiumcunque, qui ſalibus pugnandum arbitrantur. Sed quid valere iuſſis aliis omnibus ſalibus dicendum erit de nitro ſale leuiori, magis ſolubili, minusque acri reliquis, antiphlogiſtico et antiſeptico ſummo? Sane in cholera humorum acrimoniam demulcendam eſſe decocto portulacae etc. atque ſale prunellae, maxime ſi ardor et ſitis vrgeant, monet *Riuerius*. [3]) Quique poſt Riuerium et Verulamium cum Boerhaauio et Stahlio polychreſtum vſum nitri frequentiorem in praxi effecit *Hoffmannus* ad aeſtum in hoc morbo extinguendum adiici abſorbentibus pulueribus vult nitrum; [4]) alibique eius aut ſalis prunellae inſignem eſſe in eiusmodi affectibus efficaciam dum aeſtum temperat et inflammatio-

3) Pr. Med. p. 287.

4) Tom. IV. Part. I. p. 351.

mationem praecauet contendens, [5]) ad *Riuerium* prouocat, qui diarrhoeam biliosam habet sale prunellae intra 24 horas sanatam. [6]) *Iunckerus* quoque ad materiam acrem corrigendam nitrum laudat, eidemque praecipuam et certissimam in hoc morbo efficaciam adscribit, cum materiem acrem incrasset. [7]) Noster denique Illustr. de *Helwich* nitrum cum absorbentibus ad bilem temperandam et quasi coagulandam et inflammationem praecauendam collaudauit. [8]) Optima certe est praestantissimorum horum Virorum intentio, quamuis enim incrassationem et coagulationem bilis nitro impetrandam non intelligam, noui tamen bene eius virtutem eximiam, qua inflammationes cauet, et impugnat, quaque omni putrido resistit, quae adeo in cholera ad seruandum aegrum egregios effectus pollicetur. Ego licet ipse ferre nec terram foliat. tartari, nec hoc remedium potuerim, nolo tamen illud ab apparatu medicamentoso ad choleram sanandam faciente excludere, saltem illud parcissimis dosibus, largo vehiculo, dilutum, vt omnis acrimonia abscondatur, atque tenerioribus subiectis multa cum

 cautio-

5) Tom. IV. Part. III. p. 595.
6) Cent. I. obs. 33.
7) Tab. de cholera p. 508.
8) Hist. Morb. Vrat. 1702. p. 122-125.

cautione exhibendum moneo, cum aliter ſalino ſuo ſtimulo vtcunque blandiore, tamen vellicet morboſo ſtimulo nimis iam irritatas ventriculi et inteſtinorum fibras. Inimicum certe natiua ſua indole ventriculo eſt nitrum, robuſtioribus etiam vſu repetito nauſeam creat, et vomentibus datum facile vomitum auget, atque propterea vel hoc nomine immani nauſea et vomitu vexatis, non ſemper bene conuenit. Diſpliceo forte hiſce aſſertis medicis qui effuſioni amore in nitrata feruntur, quibus ne iniurius in eorum virtutes et aegros cholericos videar allego conſilium *Vateri* qui nitrata equidem cum temperantibus in parciſſima doſi commendat,[9]) ſed in maiori nocere aſſerit,[10]) licet alioquin ad compeſcendum humorum aeſtum optima habeantur. Atque ſi hoc adduxiſſe non ſufficiat obſigno totam hanc tractationem verbis *Degneri* occaſione dyſenteriae bilioſae promulgatis. *Sales omnes, Tartarus Vitriolatus, Arcanum duplicatum, ſal polychreſtus, ſal prunellae, contra omnem ſanam rationem et prudentiam medicam ab aliis toties praeſcripti mordaces ſunt grauioresque ſtimulos et dolores excitant; quare ne nitroſa quidem imprimis in ſtatu et progreſſu morbi*

9) §. 23.
10) Caut. V.

morbi tuta erunt fluxum enim magis exacerbaſſe obſeruaui. [11]) Quando autem nitri ſolius adeo circumſpectus vſus eſſe debet, vix licebit hic in vſum vocare camphoram nitro nuptam, quam olim ipſe tenui libello antiphlogiſticum declaclarare auſus ſum, praeter ſpem meam praefationem optimi Praeceptoris *Hoffmanni* calculumque ſummorum virorum Illuſtr. Domini de *Berger* et Eruditiſſimi *Werlhofii* nimis ad hanc diem mihi amici et benefici in *Commercio literario norico* meritus. Exhibuit aegro cholerico nitrum cum camphora noſter de *Helwich*, [12]) laudauitque ad hunc morbum eandem miſcelam C. *Vater* [13]) atque *Iunckerus* [14]) neque aliter ſentire poſſunt camphoram in omnibus inflammationibus extollentes. Ego vero qui praecipue malignis febribus, quarum ingenium ſtagnationes equidem phlogiſticas, ſed vim vitae ſimul nimis remiſſam ponit, opportune opponi camphoram et nitrum reputo, eandemque vbi pulſus fortis et plenus vibrat, niſi ſimul venae ſectionibus et magna diluentium copia pugnetur, multo cum iudicio practico exhibendam cenſeo, non auderem illam praeſcribere in ven-

V 5 tri-

11) Cap. V. §. 19.
12) Loco cit.
13) §. 23.
14) p. 506.

triculi et inteſtinorum phlogoſi. Non videtur rudior, immediatus, corporeus, diuque permanens ſtabilire, camphorae acerrimae et ignea contractus, in parte membranoſa propinquae, quae lacera eſt, ambuſta, et doloroſa, idem beneficium praeſtare, quod praeſtat in remotiore ſede morbi, e longinquo afflans aura camphorata, volatilis, nullibi fixa, vaſorum ſyſtema celeriter peruagans, in quam primas vias ingreſſum corpus camphorae reſoluitur.

§. 30.

Aromatica volatilia.

Alterantibus morbi materiem miſſis ad illa pharmaca conſideranda iam me conuerto protinus, quae in motus ipſos a materia acri exorbitantes redditos agunt, iidemque fraenum iniiciunt, vel volatili et aromatico principio neruis amico, vel adſtrictoria virtute, vel vi anodyna, de ſingulis ſeorſim. Aromatica, volatilia, oleoque aethereo ſuaueolente vel graveolente praedita, mirum quantum ſaepe iuuant in morbis ventriculi et inteſtinorum, ac multoties vomitus et diarrhoeas compeſcunt feliciter. Imo vero iis hominibus qui a neruorum teneritudine et ſenſibilitate eiusmodi mala facile patiuntur, veluti hypochondriaci et hyſtericae, momentaneum quandoque leuamen adferunt. Igitur cum debiliorem ventriculum

culum et inteſtina nacti cholerae morbo facile ſubiiciantur, eiusque eſſentia vomitu et diarrhoea abſoluatur, prona conſequentia illius cenſus remedia quae ſimilibus aerumnis opera alioquin attuliſſe obſeruata fuerant, huc quoque tracta ſunt, ſed mea ſententia minus congrue, et non ſine infeliciſſimo ſubinde euentu. Ita vero praxis communis iubet. Vt antiquiores taceam, remedia fere tantum cardiaca eaque calidiſſima ſcilicet ſpiritu, ſulphure ac ſales volatili abundantia commoda fuiſſe in hoc morbo affirmat *Williſius* ita vt ipſe ſpiritus vini cum ſacharo parum deflagratus remedium populare fuerit ſemper proficuum. Laudat deinde theriacum, ex aquae menthae et cinamomi, diaſcordium, ſpiritum cornu cerui, fuliginis etc. [1]) Si alicui mira haec videantur facile inuenturus eſt rationem, dum enim a liquoris neruei vitio omnia mala deriuat, atque rigorem aegrorum cordi habet, cui nullum febrilem aeſtum ſucceſſiſſe ait, cordiaca fortiora et valde aromatica indicatiſſima ſtatuere poterat. Praeter *Williſium*, *Pitcarnius*, quoque ad inanes excretiones ſopiendas aquam menthae cinamomi etc. commendauit. [2]) Fauet non minus aromaticis *Ethmullerus* interque alia

1) Pharm. Rat. pag. m. 74. 75. 76.
2) Elem. med. p. 167.

alia mentham et omnia ex ea egregia declarat. [3]) Porro in cholera licet quod notari velim pulſu celeri ſtiparetur *Lentilius* miſturam ex aqua chamomill. ſale volatili oleoſo, ſpiritu cochleariae, tinctura croci aqua foeniculi, zedoariae, carminatiua exhibuit. [4]) Miſturam ſimplicem *Iunckerus* et pro more Stahlianorum Eſſentiam alexi pharmacum et millefolii laudat ad motuum febrilium et inflammationis diſcuſſionem. [5]) Quique morbi ingenium adeo bene intellexit et deſcripſit Cl. *Teichmeyerus* elutriato a ſtimulo heterogeneo et repurgato canali alimentorum vtilia eſſe dicit antispasmodica, bezoardica, carminatiua, balſamica, analeptica, Tincturam bezoardicam Wed. Eſſentiam traumaticam eius, alexipharmacam Stahlii, Elix. balſam., Eſſ. Caſtor., Succin. balſama vitae, aquam Menthae, Meliſſ. Cinam. Carmin. dornkr., card. bened. [6]) Ab eadem methodo medendi olim ſaltem non alieni fuere noſtri Vratislauienſes, ſiquidem theriacam ex aqua menthae aut carminat. propinandam non minus commendatam ab iis inuenire eſt. [7]) Laudaui ego mecum inter legen-

3) Cap. de cholera.
4) Eteodr. p. 598.
5) p. 502.
6) Diſſ. de cholera §. 25.
7) Hiſt. Morborum Vrat. 1701. p. 94. 1702. p. 122-125.

legendum *Sennertum* quod cautus non ſine monito addito ſi materia non ita calida fuerit, ſpecies aromaticas, roſatas nucem moſchatam, ſuccum abſynth. et menthae vel aquas harum herbarum conceſſerit. [8]) Longe vero magis mihi placuit meus *Hoffmannus*, quando roborantia et ſpirituoſa ante peccantis materiae ſufficientem excretionem ad cohibendas forſan vomitiones vſurpatam ſpem fallere affirmat, tantum abeſt vt vomitus ſiſtant, vt eosdem potius cum reliquis ſymptomatibus exacerbent. Non vero ſine magna reſtrictione meum in medendo facerem oleum nucis moſchatae expreſſum, quod ad dimidiam drachmam cum iuſculo exhibitum in cholera et diarrhoea biliosa ad temperandam humorum acrimoniam magnae eſſe efficaciae optimus ſenex contendit. [9]) Quicquid vero boni de roborantibus omnibus acrioribus et calidioribus eloquantur clariſſimi viri, ego certe non adeo facilis vnquam fui ad eorum exhibitionem, difficillimus ero in poſterum, poſtquam choleram penitius noſſe mihi contigit. Multum diſcrepantiae inter aegros cholericos datur, ſique talia remedia ſanitatem ipſis reddant, leuior fuerit morbus a ciborum et potulentorum immodica et incongrua ingur-

8) L. c. p. 166.
9) Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 594.

ingurgitatione ortus, non aestiuus, non febrilis, excussa peccante saburra in sanitatem vergens, necesse est. Cautius cum eiusmodi pharmacis et cautissime mercandum, vbi contrariae conditiones obtinent, quo enim sensibilior aeger, quo maior dolor, quo intensior ardor internus, quo magis vrgens pulsu docente febris, quo magis per haec signa intestina cum ventriculo diathesi phlegmonode vel erysipelacea laborant, eo magis certe nocent non acria saltem, sed acriuscula adeo. Perinde tum est siue praesente adhuc siue maximam partem remota materie talia assumantur, si prius illa plane non quadrant, sed aliis locus idoneus relinquendus, si posterius, ventriculum et intestina tegmine orba, inflammata, arrosa, exesa, offendunt, talibusque omnino nullatenus conueniunt. Infusum absynth. et menthae, decoctum leuissimum cinamomi, cort. aurant. et citri, iusculum fructuum cynosbatos, semina carminatiua sacharo obducta, corticem peruuianum, pomum aurantium conditum non saltem non proficua ego ipse sed damnosa expertus sum, neque vnquam quae cum dolore intensissimo sensi, mihi auctoritatibus practicis contraria statuentium animo euelli patiar. Memori semper mente tenere debent Practici omnes, vbi aliqua datur inflammati

mati vel inflammandi ventriculi cum intestinis suspicio, monita *Boerhauii*, ab aliis magnis viris equidem non neglecta, pari vero seueritate vix inculcata; *cauendum summopere esse ab omni acri impetum augente calefaciente potu cibo, medicamento, calidorumque et carminantium vsum funestissimum euentum sequi.* [10]) Postquam horribilem et abominabilem choleram, cui similem curandam habui nunquam, qualemque experientissimi medici capitalem futuram edixissent omnes, diuina gratia sanabilem expertus sum, superstes aeger et medicus, ratio non postrema quod adeo multi cholericorum moriantur mihi creditur, vsus acrium hoc §o nominatorum per communem medendi methodum familiarium. Sane cum nemo cholera facile moriatur nisi per inflammationem et gangraenam, vltro patet acria omnia plus minus non auertere causam mortis, sed potius fatali auxilio ita eam iuuare, vt aeger tanto certius succumbat. Non deerant mihi amicorum amicarumque refrigerium, colicam, et flatus in ore habentium taliaque domestica pharmaca offerentium consilia, sed sagax et diu iustam morbi ideam tenens, gratias egi atque a manifesto pabulo ignis interni mihi caui sollicite, furtiuum adeo et occultatum in iis

10) Aph. 954. 961. 964.

iis quae bona et innoxia credebam, haud prorſus euitare gnarus.

§. 31.

Tonica, adſtringentia. Sequuntur ordine tonica et adſtringentia, quae omnino ſtatim indicari videntur, ad ſolas enormes profuſiones humorum attendentibus. Ea tamen fere nemini ideam iuſtam morbi habenti poſſunt arridere, cumque praeterea experientia toties ea damnoſa fuiſſe docuerit, iure ſuo male audiunt tantum non omnibus ſolidis auctoribus practicis. Inter numeroſos a quibus communi conſenſu damnantur aliter ſentire videtur Bontius. [1]) Rectiſſime ille quidem praecipit, dandam primo operam eſſe, vt acerrimus humor mitigetur, neſcio autem qui factum ſit, vt id maxime fieri poſſe credat, per adſtringentia medicamenta, ventriculum et inteſtina corroborantia, et modico frigore furorem materiae refraenantia. Poſt ſyrupos acidulos laudat certe eapropter in Iaua naſcentem Pſeudomyrobalanum, forma belliricos referentem, ſola adſtrictoria vi praeſtantem, cum caeterae myrobalanorum ſpecies aliquid laxatiui habeant, eamque conditum vtiliſſimum ad choleram et ad omnes aluinos fluxus nimios dicit. Non diſputem fuſe contra vnum *Bontium,*

1) Med. Ind. p. 70.

Bontium, ſufficit, ſaltem in principio morbi aut excretionibus pluribus nondum praegreſſis antiquis omnibus et recentioribus omnibus improbari adſtringentia. Eorum quae eiiciuntur ſuppresſionem malam eſſe, cum cruda ſint, iam egregie monuit *Aretaeus*,[2]) quare non niſi in declinatione morbi aegro viribus exhauſto, ad excretiones ſopiendas in victu fructus adſtringentes ſorba, meſpila, mala cydonia, vuam, collaudat. Tantum quoque perſeuerante impetu, praemiſſisque quae eluere ventriculum cum inteſtinis poterant, decoctum roſarum, venanthis, aut rhois, aut pampinorum vitis concedit *Aegineta*,[3]) cum quo apprime conuenit *Aetius*,[4]) qui actis agendis ad vomitus coercendos commanducare iubet ſuccum meſpilorum, malorum cotoneorum etc. eaque occaſione citat remedium *Aſclepiadis* pro cholericis ex baccis myrti, floribus roſarum et carnibus palmarum parandum. Igitur etiam qui placita veterum iuncta exhibet *Piſo* ita ſentit, atque ſi quis initio aut coaceruatim ea quae efferuntur cohibere aggreditur, eum maioris mali Autorem fore, inutilia quippe eſſe et vacua-

2) Curat. acut. lib. II. c. 4.
3) Lib. III. c. 39.
4) Tetr. III. ſerm. I. c. 12.

vacuatione opus habere ipsissimis verbis *Aetii* asseuerat. [5]) Laudat equidem *Piso* in diaeta alimenta medicamentosa cydonium coctum, succum granatorum, hordeatum cum sacharo rosato, sorba, pyra, poma austera, verum saltem si excretio modum excesserit, in praescriptione vero ipsorum medicamentorum magis fauet externis adstringentibus, parcusque quoad interna nonnullos syrupos sub adstringentes et similia decocta commendat, sub iisdem conditionibus. Recentiori aeuo circumspectus et felicissimus propterea Practicus *Sydenhamus* adstringentia vulgo exhiberi solita improbans, eadem hostem in mediis visceribus detinere, ac ex aduena plane inquilinum reddere, morbum protrahere, atque occasionem dare, vt irrepentibus humoribus vitiosis in massam sanguinis, mali moris febris accendatur disertis verbis testatur. [6]) Non minus curationem per corroborantia et adstringentia vt eam quae per alexi pharmaca suscipitur, experientia saepius edoctus aduersi euentus esse et rationi aduersam affirmat *Pitcarnius*. [7]) Licitum mihi erit huc trahere asserta Cl. *Degneri* quamuis illa dysenteriam biliosam proprie respiciant.

Ad-

5) Lib. III. p. 76.
6) Operum p. 218.
7) Element. med. lib. II. c. 18. §. 30.

Adſtringentibus inquit *raro opus, excretio enim alui ſua ſponte ceſſabat, poſtquam venenum aut ſubactum aut exactum fuerit. In ſinu autem fouent anguem qui adſtringentia vſurpant, nam materiem acrem continent, ne foras effluat interea hoc modo inflammatio, vlcera, gangraena inducuntur, nunquam hinc tuta niſi vbi de materia euacuata, et de tono inteſtinorum ſolummodo labefactato certi fuerimus.* [8]) *Corallia, C. C. aſtrum et criſtallus montana putatitia adſtringente virtute gaudent, nilque laudabilis praeſtant.* [9]) *Mars, croci eius, lapis haematites, lac ferratum adſtringunt, hincque ſuſpecta ſunt.* [10]) In iisdem ſententiis verſantur *Vateri* Pater et filius, quorum hic niſi maximam partem noxiis humoribus eiectis periculum vrgentis ſymptomatis et praecipue animi deliquii impendere obſeruetur, non vtendum vllis adſtringentibus praecipit, tum vero ex nimiis profuſionibus ſi mors metuatur illa concedit. [11]) Sed obſeruauit noſter de *Helwich*, [12]) ex intempeſtiuis adſtringentibus anxietates praecordiorum ad animi defectionem auctas, ipſumque vinum

 cydo-

8) Cap. V. §. XI.
9) - - §. 16.
10) - - §. 18.
11) Diſſ. §. 22.
12) Hiſt. morb. vrat. 1702. p. 124.

cydoniatum in morbi principio non profuisse, sed debellato saltem eo ad corroborandum ventriculum conduxisse. Acris correctio et blanda eiectio; effectuum eius stricturarum conuulsiuarum, excretiones vrgentissimas cientium et dolorum a stricturis pendentium lenimen; inflammationisque mortem exclusurae oppugnatio, palmaria certe momenta sunt, considerationem feliciter morbum sanaturi sibi deposcentia. An ad haec omnia quadrat fibrarum per remedia adstrictio? Irritata in principio et augmento aegritudinis non relaxata sunt cum ventriculo intestina, irritans vero materies non obtunditur remedio adstringente. Fibrarum crispationes et conuulsiones adstringentibus exacerbandae oleosa demulcentia flagitant, simplexque adeo diarrhoea adstringentibus iniuste impugnatur, quamdiu doloribus stipata est: Inflammatio praecauenda et curanda canaliculos vult patulos, non adstrictu angustiores redditos, quod ipsum morbosae stricturae iam nimis praestant. Nullus antea adstringentibus cohibitionique directae excretionum locus, quam vbi sola a morbo hoc spasmodico et conuulsiuo residua laxitas peccare obseruatur. Praestat vero et tum primo incrassantia adhibere, quia simul restitans forte hinc inde acre inuoluunt, et simul exesa atque excoriata

inte-

inteſtina ſolantur. Dein ſenſim demulcentibus miſceri poſſunt blandiſſima adſtringentia, inter quae expertus omnibus aliis praefero leniores tincturas martiales, cydoniatam et pomatam, parcis doſibus pedetentim adaugendis, largioribusque vehiculis inſtillatas, ipſasque adeo ſpadanas cum lacte. Noui terras bolares et ſigillatas ob pingue elementum quod cum martiali cuſtodiunt hos in fines commendari ab Autoribus. Periculum ipſe facturus eram, aderat quippe mihi bolus armena et terra ſigillata ſtrigenſis; verum mediocres adeo doſes otioſae iacebant in debilitato miſere per tot vomitus ventriculo, grauisque ſarcinae ideam preſſu ſuo concitabant, maior fructus eueniebat a martialium minutula mole aliquot guttulis laudatarum tincturarum. Vidi dein euoluens libellum *Degneri* veriſſime ipſum ſcripſiſſe: *Terrae bolares pro aeri quocunque inuoluendo et obtundendo laudatae, ſiſtunt fluxum, ſed grauant inteſtina maioresque anxietates et cardialgias cauſantur.* [13]) Gauiſus ſum ipſum reiicientem in toto morbi decurſu martialia, limaturam, crocos in fine morbi laudaſſe tincturam vitrioli martis Ludouici ad corroboranda viſcera, ſed delicatulis inteſtinis ſine ſpirituoſo menſtruo paratae adhuc magis conueniunt. Verum

X 3 et

13) Cap. V. §. 17.

et in fine cholerae martis tincturas propinandas suo calculo cohonestauit Cl. *Hoffmannus*[14]) easdemque multis modis anteponendas credo coralliatis et gemmatis a *Iunckero* inter martialia laudatis.[15]) Misturam vero tonico-neruinam Stahlii quam more solito addit abesse vellem prorsus, namque laesioni et sensibilitati intestinorum stimulo suo spirituoso et volatili haud respondet.

§. 32.

Onodyna, at vulgaria pro iis habita hic sunt insufficientia.

Accedo tandem ad anodyna, quorum certe consideratio non sine scrupulosiori cura suscipienda est, vt media via incedamus tuti, aegrorumque saluti consultari commissionis et omissionis vitia felices euitemus, cum vtraque in praxi familiaria sint iis, qui opium vel nimis laudant, vel nimis culpant. Cl. Stahlium et sectatores eius si audiamus non saltem nil boni, sed infortunia quaeuis ex eius vsu imminere aegris cholericis persuasi esse debemus, credereque tenemur, carere posse medicum omni opio, in curatione cholerae, aliisque validis armis instructum esse ad eam abigendam. Vnus instar omnium *Iunckerus scopo correctionis si satisfactum fuerit, non opus erit,* inquit *refraenatione vomitus et diar-*

14) Med. Syst. Tom. IV. Part. III. p. 591.
15) Tab. de cholera p. 502.

diarrhoea, cui triuialis praxis tantopere inhiat, impetus enim ſponte ſolet ceſſare. Quod ſi vero ſubacta materia omnino neceſſarium videatur, impetuoſo vomendi et purgandi conatui aliquid opponere, fieri hoc poteſt per lenientia, theriacam, puluerem caſcarillae, vel per illius eſſentiam, aut eſſentiam millefolii cum eſſentia alexipharmaca.[1]) Et alio loco: *ad motus nimios ſiſtendos, nitrum omnibus aliis palmam praeripit, dum neceſſariam excretionem promouet, excedentem vero mitigat conveniunt etiam maſſa pilularum de cynogl. et theriaca coeleſtis.*[2]) Vtinam vero id conſtanter verum haberetur, correcta materia motus quieſcere, ſed meminiſſe debent Stahliani habitus motuum, ſine materia, et errorum naturae de quibus adeo multa loquuntur in pathologicis. Atque niſi diffiſus eſſet ipſe *Iunckerus* motuum ſpontaneae ceſſationi, non opus habuiſſet commendare poſitiua ſedantia remedia, aut ſibi pro ſedantibus habita. Abeſſe quippe poterat in vniuerſum a curatione cholericorum, theriaca Andromachi, et coeleſtis, cum mp. de cynogl. Sed certe talibus nequit carere praxis, niſi otioſos funerum ſpectatores velimus agere, quae caſcarilla certe non auertet, nana et puſillula virtute inſtructa, ſi gigan-

1) Tab. de cholera p. 502.
2) Ibid. p. 503.

ganteae ferociae morbum ſpectes. Huius certe aromaticam et ſubadſtringentem vim noui, anodynam animaduertere hactenus nequiui. Egenum autem mihi ſemper habitum eſt remedium eſſentia millefolii, in 30. vel 40. guttulis pauxillum ſane virtutis continens, de herba, cuius integri manipuli deuorati inter adiaphora pertinere poſſunt, cuiusque infuſum ſaturatiſſimum ad menſuras epotari poteſt, ſine ſingulari effectu. Quomodo vero acris ſatis et calida eſſentia alexipharmaca inter lenientia referri, motusque ſiſtere queat ſua irritatione, qui ab irritatione morboſae acrimoniae pendent, atque quomodo illa quadrare poſſit arroſioni inteſtinorum et ardori inde contracto de quo ipſe loquitur *Iunckerus*,[3]) quemque mitigandum vult, vt decet, non bene capio. Denique etiam non ſatis intelligo, qua ratione in vno eodemque morbo calida eſſentia alexipharmaca, et refrigerans nitrum ſiſtere motus queat, alterutrum certe falſum ſit neceſſe eſt. Dixi iam quae de nitro dicenda ſunt, quod tanquam ſal irritat villos noſtros, et ad contractionem ſollicitat, vt alia ſalia, etſi blandius; neque vere motus inhibet niſi illos, qui pendent ab orgaſmo ſanguinis et ſtaſi denſati in extremitatibus arterioſis, quam ſolue-

re

3) Pag. 501.

re aptum eſt. Virtutem autem nitri neceſſariam excretionem promouendi et excedentem mitigandi, pari paſſu ambulare iubeo cum pilulis Stahlianis haemorrhagias ſiſtentibus et promouentibus. Vt ſapientiam naturae ita et remediorum parui facio, mechanicas et phyſicas operationes vnice valere, atque Medico earum intellectum vtilitatem praeſtare gnarus. Nullo culpabili affectu, ſed ſolo veri amore motus haec ſcribo, merita Cl. *Iunckeri* quem praeceptorem habui venerari non deſiturus, quin et liquorem anodynum *Hoffmanni* omnibus a Iunckero laudatis, omnibusque aliis ſedatiuis excepto opio praeferendum, atque alioquin motuum exorbitantium ſaepe ſufficiens remedium, ſegnem nimis in vomitionibus et fluxibus aluinis grauioribus ipſaque cholera deprehendi, ſat expertus affirmare non dubito. Nimis forte delectatum eſſe, vt nitro et abſorbentibus, ita et arcano ſuo liquore anodyno optimum Senem, iudicauit opinor non abs re Illuſtr. de *Haller.* [4]) Atque etiamſi illum cum oleo macis vel etiam tinctura caſtorei maritatum, poſt opiata quae non omittit, poſt inertia nimis antiſpaſmodica, quae omiſſa vellem, Cinnabarim, hepar lupi, raſuram priapi cervi, cranii humani, vngulae alcis, oſſa hu-

4) In methodo Studii medici Boerhaau. p.918.

mana calcinata vehementer laudandum dicat, [5]) nollem tamen ipſi ſoli credere motuum tumultuantium in cholera conſopitionem. Aſſerit alibi [6]) pulueribus abſorbentibus nitroſis, emulſione amygdalina, et liquore anodyno debito tempore, congrua doſi, et mature adhibitis, ſe ſaepe breui ſuſtuliſſe paſſionem cholericam. Neque ego per ſomnium eo devenio, vt integerrimo et experientiſſimo Viro fidem denegare audeam. Sed omnes illos caſus ſimiles habeo illi quem recenſet de foemina in carolinis, [7]) ab ingeſtis auide ceraſis et fragis cholerica facta, lacteque iure pulli, abſorbentibus, caſcarilla, et litu ex oleo amygdalarum cum menthae et macis deſtillato, atque adeo etiam ſine ipſo liquore eius anodyno cito ſanata. Longe alia et altioris indaginis eſt cholera vt mea erat, ſine peccato ingeſtorum enata, Sydenhamo adeo notanter deſcripta, et ab aliis leuioribus ſpeciebus ſollicite ſeiungenda. Certarem depoſito pretio talem rebellem futuram liquori anodyno, quem ipſe ne quidem ferre poteram, et opiatorum vſu ne quidem ſemper vincendam fore, quibus tamen ſolis nequitia eius poteſt cicurari. Dum vero papaueris exotici vires

5) Tom. IV. Part. III. p. 590.
6) Part. I. Tomi IV. p. 356.
7) Ibid. p. 364.

vires extollo, ab illis simul recedo Aucto-
ribus, qui nostrati in hoc morbo ni-
mium tribuunt. Iungit nostra papaue-
racea, syrupum et tinct. papau. rhoead.,
syrupum papau. albi, et diacodii, vero-
rum opiatorum catalogo Abr. *Vaterus*,[8])
quis vero nisi hospes in arte medica co-
ram videns horrendos tumultuantium
motuum impetus, eosdem his leuiuscu-
lis armis mitigandos decerneret. Non
destituuntur effectu emulsiones papaue-
raceae, oleo demulcente magis, quam
insigni narcotico principio lenimen spas-
mis et doloribus afferentes, neque etiam
syrupis papaueris et diacodii aliquid de-
tractum volo. Magna vero potest assu-
mi quantitas papaueris sine effectu vel
minimo insequente, ex illis, qui minu-
tulam dosin opii insequuntur, quod
omnes norunt qui more in Silesia nostra
recepto, Vigilia ante festum Natiuitatis
Christi contuso cum lacte et melle papa-
vere, sat strenue ad multas vncias assum-
to, ventriculum infarciunt, nec sopiti,
nec capitis grauitate, et temulentia, al-
tera die vexati. Syrupum et tincturam
papaueris rhoead. vnquam inter anody-
na retulisse practicos miror plane, et hac
et illo praeter colorem egregie rubicun-
dum, nil certe peculiaris habentibus.
Vti syrupi vis fere a sacharo aut melle,
ita

8) Diss. §. 20.

ita tincturae virtus a phlegmate vitriolico pendet; nil singularis vtrumque pharmacum habet, ab aliquibus florum papaveris foliis.

§. 33.

Sed vera opiata requiruntur, a summis Viris in hoc morbo laudata.

Sed generosioris papaueris orientalis summam excellentiam, et necessitatem, satis viderunt notaruntque in sananda cholera grauiore, Medici Practici in orbe celebratissimi, a quorum monitis simul dextra adhibitio discenda, et felici imitatione exprimenda est. Bilis superne et inferne fluxui si dolor adsit, esse opponenda quae in pharmacis scripta sunt, sedantia dolorem, ventrem autem curandum tum superiorem tum inferiorem per potiones humectantes iam edixit *Hippocrates* pater. [1]) Eandem igitur prorsus methodum medendi commendauit, quam ad choleram optime inservire asserit recentior Hippocrates *Sydenhamus*, si saltem certo constaret an Venerabili illi Seni notus fuerit vsus opii, quem hic feliciter expertus toties collaudat. Non possum iam fusius inquirere in hoc argumentum. Nominat *Hippocrates* medicamentum ὑπνικὸν quod Hegesippo ad dentium dolorem leuandum porrexit, [2]) loquitur quoque aliis locis

1) Libro de affectionibus §. 28.
2) Epid. lib. VI. sect. VI.

locis de pharmacis doloris gratia exhibendis, [3]) nullibi tamen expreſſo verbo nominat opium, vt *Dioſcorides Galenus*, aliique Graeci et Arabes, hyoſcyamo forte mandragora, aut aliis narcoticis ſibi notis ad dolores inhibendos vſus. In genere non negari poteſt, omnem antiquitatem medicam timidam fuiſſe in porrigendo opio, inde tot putatitiae reque ipſa abſonae valde correctiones eius, compoſitionumque opiatarum inſulſa farrago. Igitur etiam in morbi qui tamen ſi vllus alius ob enormes dolores opium ſuum vult, cholerae medela, apud Veteres omnes *Trallianum*, *Aetium*, *Oribaſium*, *Celſum* therapiam eius docentes, altum de anodynis et opiatis ſilentium, *Aegineta* alio ſcopo, ſi vigiliis nempe vexetur aeger, et vires non prohibeant, medicamentum ex capitibus papaueris exhibendum commendante. [4]) *Piſo* quoque licet ſibi proximiorum Auctorum, vt Veterum, diligens lector, de omnibus talibus tacet penitus. Cum *Plateri*, *Horſtii* et *Geſneri* laboribus honos iuſtus demum opio aſſertus ſit, circa haec tempora demum huius pharmaci vſus ad choleram ſanandam fuit extenſus. Inter alios eximios Medicos Cl. *Sennertus* quem genuiſſe Vratislauia mea ſibi

3) De affectionibus §. 33.
4) Lib. III. c. 39.

ſibi gratulatur. Si alia nil iuuerint, ad narcotica accedendum eſſe iubet, laudanumque opiatum non mediocri doſi, ad gr. ij. vel iij commendat. [5]) Actis antea neceſſariis vomitum denique cohibendum eſſe dicit *Riuerius* medicamentis externis et internis inter quae narcotica principem locum obtinere, ac praecipue theriacam recentem ad drachmas duas exhibitam, vehementes illas euacuationes veluti in momento cohibere, idemque praeſtare laudanum opiatum affirmat. [6]) Addit quoque cautionem, ſi magna ſit virium exſolutio integram laudani doſin tutam non eſſe, ſed diuiſam tantum exhibendam et ſemel in die repetendam, vel etiam bis ſi res admodum vrgeat. Atque veluti cum *Syluio* ſine opio Medicus eſſe nollet *Bontius* celebris apud Indos Polyater. *Si nobis hic opio ac opiatis non eſſet proſpectum fruſtra*, ait, *in calidiſſimis his regionibus medicinam faceremus dyſenteriae, cholerae* etc. [7]) Inculcat igitur ſerio ſi aliunde non adferatur iuuamen confeſtim ad extractum croci quod deſcribit, cuiusque baſis opium eſt, deueniendum eſſe, vt mitigato atroci illo humore natura fortior denuo

5) L. c. p. 166.

6) Operum p. 287.

7) In notis in Garciam ab Orta in cap. IV.

denuo ad vincendum hoſtem inſurgat.[8]) Porro opiata nunquam ſatis laudanda, nunquam omitti, ſique magna ſit virium proſtratio, cum analepticis miſceri debere, ac ſi aeger vomitibus pluribus et deiectionibus iam ſit exhauſtus ſtatim ad ſacram anchoram laudani accedendum eſſe praecipit *Ettmullerus.* [9]) Adeo vero conuictus eſt de vſu eius neceſſario *Bohnius* vt nullum Medicum a praeiudiciis liberum hoc diuinum medicamentum damnaturum fore ſcribat. [10]) *Lentilii* deinde commune remedium in cholera fuiſſe pilulas Wildeganſii et eſſentiam anodynam oleo amygd. miſtam ex eius Eteodromo inſpecto paſſim patet. In adornanda legitima medendi methodo ſcrupuloſus et felix *Pitcarnius* ita ſtatuit: *Si non antea aduocetur Medicus quam ceſſauerint excretiones et ſuperſtite excernendi conatu aegri vires fatiſcant (quod expulſus debilitate comparata cum magnitudine et frequentia excretionum praegreſſarum dignoſcitur) lipothymia immanente, tum eodem modo erit medendum, ac ſi emetico ſuo officio functo immanes vomitus forent compeſcendi, et quies procuranda, nempe opium caute et partitis vicibus et forma liquida eſt exhibendum.*

8) Lib. III. c. 6. Med. Indorum.
9) Cap. de cholera.
10) Diſſ. de cholera §. 26.

dum.[11]) Vix vero aliquis felicius absolvi posse sanationem cholerae quam per vsum opii, reputauit Cl. *Sydenhamo,*[12]) cui id et pulli iusculum omnem remediorum supellectilem constituunt. Nemo vero existimabit facile tantum Virum coeco impetu ferri potuisse ad exhibitionem generosi adeo remedii, quod nocere aeque ac prodesse queat, intempestiue et tempestiue porrectum. Ipse potius fatetur si medicamentis narcoticis in ipso statim limine primum humoris impetum compesceret, et naturali euacuationi obsisteret, inuitumque humorem detineret, aegrum inimico visceribus incluso, bello intestino sine dubio confici: Eapropter penso cuidam eluuionis primo satisfaciendum vult, per tres vel quatuor horas, tuncque curationi coronidem imponi per laudanum liquidum, ad gt. 16. vel aliud narcoticum officinale. Ne vero nimia cunctatione aegri salus perderetur, si non accesserit Medicus nisi postquam ille per horas 10. 12. multis excretionibus fuit exhaustus, et iam frigescant extrema, statim ad sacram anchoram laudani confugiendum esse iniungit, quod consopitis vrgentibus symptomatibus, mane et sero dandum vult, donec pristinas vires aeger rece-

11) Element. Med. lib. II. c. 18. §. 28.
12) Loc. cit. p. 217. 218. 219.

receperit. Id ipſum probe perſpectum habens Celebris cum viueret Practicus *Timaeus*, cuidam Baronum fratrum germanorum Trigae, cum Ephoro, a comeſtis ouis barbi piſcis cholerae laboranti, atrociſſimisque torminibus, alui profluuio, vomitibusque creberrimis non ſecus ac a veneno capto afflictae, illico cum fructu dedit opiatam ſuam bezoardicam. Imo vero cum ipſe ex liberaliori in coena comeſtione malorum perſicorum, cum binis amicis vehementi cholera per noctem laboraſſet, viribus miſere fractis, circa auroram eandem opiatam maximam partem ex theriaca andromachi terris et gemmis perperam onuſta conſtantem aſſumſit, ſociisque peccati et poenarum porrexit, praeſentaneo cum iuuamine. [13]) Cum eadem ipſis mens ſit laudare quoque hic omnino debeo Cl. *Vateros*, patrem et filium, Chriſtianus ille Sydenhami veſtigia premens exantlato eluuionis intra paucas horas penſo commendat paregorica, diaſcordium, theriacam andromachi et coeleſtem, laudanum opiatum, laudanumque liquidum, cauendumque ſaltem monet, ne in principio talia dentur, aegrum ſic trucidatura nec in maiori doſi. [14])

Hic

13) Lib. III. Caſu 7. et 8.
14) Diſſert. §. 24. et Caut. 8.

Hic, *Abrahamus*, eadem ac praeterea Mithridatium Damocratis, requiem Nicolai, Philonium romanum, et perſicum, tincturasque opiatas depraedicans; materia noxia per naturam et artem educta, motus turbatos ventriculi et inteſtinorum eorum remediorum ope compeſcendos ſuadet. [15]) Etiamſi vero liquorem ſuum anodynum, vt parentes liberos ſolent, valde amet *Hoffmannus*, tamen anodyna generoſiora non excluſit, ab apparatu remediorum cholerae ſervientium; ſed pilulas de ſtyrace, de cynogloſſa, Wildeganſii, cum Starkeyanis ſimul commendat, ſaltem opiata euacuantibus nupta tutiora habet, ſique ſuſpicio de praeſente adhuc materia fuerit, motus tamen nimis efferati ſint, anodyna cum pilulis aloephanginis aut balſamicis ſuis remiſceri cupit. [16]) Non obliviſcar Cl. *Teichmeyeri* qui opiata nunquam in cholera omittenda, at repurgato canali alimentario ſaltem in vſum vocanda eſſe aſſerit. [17]) Neque ſilentio praeteream Humfredum *Ridley* ſtrenue contra hunc morbum, ſatisque maſculis doſibus opii pugnantem, vt ex eius obſeruatione I. et XXIII. patet. Dignum memoratu eſt obſeruationi primae annexum

15) §. 20.
16) Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 590.
17) §. 25.

xum eius monitum, de ingenti periculo aegris impendente, ex nimis exigua a quacunque demum cauſa oriatur malum, paregoricorum adminiſtratione. Vt tandem et Vratislauienſibus Medicis ſuus conſtet honor, quorum plurimi ad hunc diem opium haud reformidant, producam qui olim magno ipſis decori erat Illuſtrem de *Helwich*, quique opiatorum in cholera neceſſarium vſum probe habebat cognitum, licet alioquin quod ſciens ſcribo ſuſpenſa manu eadem praebere ſoleret. Ex voto ſuccedere methodum Sydenhamianum is teſtatur, quamuis non ita feſtinanter deſcendendum eſſe ad narcotica, nec eadem ita largiter vſurpanda cenſeat, nondum ſufficienter abſoluto eluuionis penſo, theriacam omnibus praeferens. 18) Dolens multum finem facerem huic tractationi, de conſenſu ſummorum Medicorum in porrigendo Cholericis opio, ſi calculo ſummi *Boerhaauii* maximum pondus habente deſtituta eſſe cogeretur. Non ſeorſim Vir ſummus egit de cholera, norunt vero eius aphoriſmos intelligentes, et dyſenteriae et cholerae medelam ipſum propoſuiſſe capitulo de inflammatione inteſtinorum. Sed in eodem diſertis verbis iubet, vt potui aſſiduo calido ex demul-

18) Hiſt. Morb. Vrat. 1701. p. 94. et 1702. p. 124. 125.

centibus et laxantibus prudenter addantur opiata.[19])

§. 34.

Regulae in vsu tenendae.

Ita vero iam abunde liquet quantum opio tribuant Medici in clinica praxi exercitatissimi, visisque eorum affirmantibus sententiis, non minus perspicitur, illos qui id abesse volunt ab huius morbi curatione, eamque frustra expectant a segnioribus et otiosis saepe, aut mali genium et grauitatem, indicationesque vrgentes non intelligere, aut spissis praeiudiciis et hypothesibus praestabilitis impediri, quo minus veritatem amplectantur, quam experientia tot Illustrium Medicorum, quibus vnus Stahlius os haud obturauerit, palam loquitur. Considerent oro hi boni Viri, causam cholerae saepe adeo rabiosam esse, vt venenum aemuletur, quemadmodum in superioribus satis notaui. Certum vero est, inter generalia venenorum et praecipue acrium antidota, merito suo asserente *Boerhaauio*[1]) referendum esse opium, quod equidem venenum ipsum haud debellat, spasmodicos tamen motus suscitatos a veneno sopit, hincque ab ipso dioscoride iam laudatum legitur. Rem elegantissime *Boerhaauius* illustrat in praelectionibus:

19) Aph. 964.
1) Instit. 1129.

bus:[2]) *Mille lanceolae*, inquiens, *laxa immotaque manu detentae nihil nocent, quam primum mufculos agitauero, vulnerabunt vndique, ita opium fedando motum efficit ne venenum actuofum reddatur.* Ex iisdem principiis opiata in tali cafu proficua declarat de venenis pulchre agens *Lindeftolpius*,[3]) quia fpafmis et torminibus ab acri veneno excitatis, vafa contracta laxari poffunt ab hoc remedio, quod tum facit acria fpicula laxatis folidis partibus excidere. Hocque negotium eodem fere ac *Boerhaauius* fimili illuftrat. Non proinde exiftimandum eft ac fi liceret Medico, omne negotium foli committere opio, huius quippe vfus in folos motus agens non excludit, fed fupponit potius adhibitionem talium, quae venenum ipfum quod venenum effe pergit motibus ad tempus fopitis vel prorfus inuertant, et deftruant, vt non nocere poffit, vel inuoluant et quafi in vagina recondant, fi directum antidotum ignoretur. Dum vero citius faepe venenum motibus excedentibus quos ciet deftrueret machinam, quam tempus permitteret vt eneruaretur et eiiceretur, intereft interea moderamen horum motuum praeftare, aequa et fufficiente vi inftructo pharmaco, donec

 caufa

2) Ad §um citatum.
3) De Venenis p. 796. 797.

caufa eorum conuenientibus praefidiis oppugnari commode, et eliminari e corpore queat. Si haec omnia accuratius applicentur veneno cholerico, illucefcet prorfus neceffarius, caftus tamen et circumfpectus vfus opii, de quo vt quam optime cedat quaedam adhuc fcitu neceffaria in exhibitione, fubnectam.

Ex caufa mali cognita; ex fymptomatum grauitate, ac praecipue vomitionum et deiectionum numero et vehementia; ex humorum maiori minorique per vtrasque profufione; ex eiecta cum iis vel maximam partem, vel nondum fatis mali caufa; ex virium maiori minorique proftratione, diiudicabit Medicus, an morbus breuiori longiorique temporis interuallo tendat ad fui faftigium; an finem funeftum minetur; an fperare patiatur fauftum; atque fecundum has circumftantias ftatuet, num citiorem, num tardiorem, num largiorem, num parciorem, vfum opii curatio flagitet.

Mox in principio datum fine fufficiente excretione et eluitione praegreffa nocebit certiffime, quamuis qui vnus quod fciam ita fentit *Bohnius*, [4]) id etiam ftatim in principio propinari poffe cenfeat, ob vim eius alterantem, dum vi fui falis volatilis et fulphuris balfamici omnem acri-

4) Diff. de cholera §. 26.

acrimoniam humorum leniat, qua in re ego ipſi non facile ſubſcribo.

Eluuionis penſum trium, quatuor horarum a Sydenhamo determinatum, quod *Vatero* [5]) et *Teichmeyero* [6]) interdum ſufficiens iudicatur, niſi morbus ab ingeſtis ſolis, cum noſtro de *Helwich* [7]) ſat breue habeo, pluresque horas quandoque ſibi vindicare credo. *Piſo* 24. horis fere vacuari materiam putat. [8]) Ego poſt aliquot morbi dies, poſt tot deiectiones, et vomitus, et eluitionem improbo labore ſuſceptum, a ſelteranis et lacte adhuc ſordes acres, igneas, bilioſas, manifeſte a ſuperioribus ad inferiora determinatas ſenſi, in morbo ſine peccato ingeſtorum enato.

Corpus delicti per diaetae errores recens ingeſtum, cito reiectum, arte et natura, locum facit citum anodynis; aliter autem niſi dolor cum excretionibus ſit enormis per horas 10. 12. 15. praemittenda praemitti debent, vt vſus opiati reddatur magis tutus et felix. Cum vero harum horarum ſpatio et necare poſſit cholera, grauiori malo citius etiam ſopiens pharmacum opponendum

 eſſe

5) Diſſ. §. 24.
6) Diſſ. §. 25.
7) Loc. cit.
8) Lib. III. p. 75.

esse patet, reliquis agendis interim non omissis, sed actis nihilominus vt decet.

Nempe quod si symptoma vrgentissimum dolor summus, vomitus ingens, profusiones humorum enormes id auxilium vnice certum mature postulent, antequam causa elui sufficienter potuerit, interponenda eius vsui sunt iugiter, ea quantitate quam aeger fert, potulenta demulcentia, cum talibus clysmatibus, vt restitans adhuc acrimonia decenter impugnetur. Cauendum vero hic est sollicite, ne forte per largiorem dosin aegro conciliato sopore perdatur pretiosissimum arctoque spatio circumscriptum tempus, quod eliminandae et obtundendae acrimoniae auertendaeque inflammationi impendendum erat.

Vt duplici fini simul satisfiat, nempe vt motuum impetus sopiantur, et tamen simul acrimonia euerratur, si illi vrgeant, nondum satis remota materia, anodynum maritandum cum laxantibus aluum, pilulis aloephanginis vel suis balsamicis vult *Hoffmannus.* [8]) Pace autem Illustr. Viri illae pilulae ex resinosi acribus et irritantibus calefacientibusque concinnatae, vomitionesque et dolores torminosos exacerbaturae vix quadrant cholerae paulo grauiori praecipue, ad quam multo leniora euacuantia saepe sine necessi-

8) Tom. IV. Part. III. p. 590.

cessitate, et cum damno adhibentur. Neque a connubio vtriusque remedii quod correctionem frustraneam opii sapit, multa bona speranda: praestat si laxante opus anodynum illi subiungere, vel potius loco laxantis diluentia et demulcentia potulenta ac clysmata, cum anodynis simul vsurpare.

In casu desperato, sero aduocato medico, deiectisque omnibus viribus, vbi mors instare iudicatur, si per breue adhuc tempus perdurent effusissimae excretiones, enormibus motibus proritatae, vnicae salutem expectandam esse ab anodynis, vno ore loquuntur rerum gnari. In dosi vero determinanda toto coelo inuicem differunt, aliis refractas, aliis maiores magnitudinique morbi pares adhibendas decernentibus, dum alii cum *Hoffmanno*, [9]) vbi fractae sunt vires prorsus abstinendum ab opio asserunt, quoniam soporem fatalem et necrosin inferre posset. *Riuerius* [10]) si magna sit virium exsolutio, dimidium completae doseos opii; caute id et partitis vicibus dandum *Pitcarnius*, [11]) cum analepticis remixtum *Ettmullerus* [12]) suadet. Exstant tamen exempla sat

Y 5 magnis

9) p. 593.
10) Operum p. 287.
11) Elem. med. lib. II. c. 18. §. 28.
12) Loc. cit.

magnis dosibus vitam desperate decumbentium lucratum fuisse medicum, quae forte mediocribus et paruis haud seruata fuisset. Mediocris equidem erat dosis theriacae, qua *Timaeus* septem aliorum aegrorum et suam propriam choleram praesente iam summa debilitate sanauit. [13]) Verum ad cholericum vocatus *Sydenhamus* enormi vomitione et spasmorum violentia animam agentem cum sudore frigido et pulsu vix micante, guttas 25. laudani liquidi cuius 16. alioquin ordinaria dosi praebere solebat, (quae *Schultzio* iam nimis magna visa est vltra decem non adscendendum esse inculcanti,) [14]) ex cochleari aquae cinamomi datis, et pluribus aliquoties exhibitis seruauit, [15]) qui sine dubio sine generosa dosi mortuus fuisset. Praeuidit vir integerrimus nimis audacem se multis appariturum, vt ergo hanc maculam deleret sapientissime determinat tria momenta vrgentia, quae largiorem vsum opii in morbis curandis poscant *dolorem vehementem, vomitum et deiectionem enormem*, et *insignem spirituum animalium ataxiam.* Nonne vero haec tria in cholera vehemente concurrunt? nonne talis ter quasi poscit opium? Sed fere audacior adhuc *Sydenhamo* fuit *Ridley*

13) Loc. cit.
14) Diss. de medic. opiatis officinalibus.
15) Operum p. 373.

Ridley,[16]) aegrae tali poſt potum et clysma ex decocto pulli vnius horae ſpatio ter dedit bolum ex theriaca ad drachmam vnam, ſemper iterum reiectum, dein pilulam ex opii grano vno cum dimidio, quam ter etiam reiecit, poſtea pilulas Matthaei ex quantitate quae haberet opii grana duo inde leuamen; poſt repetitionem elapſis aliquot horis ſomnus, alteraque die ſub veſperam poſt vnam adhuc ſed eandem doſin ſomnus iterum, et eo excuſſo ſymptomatum omnium ceſſatio. Fateor magnas, eiusmodi doſes expertiſſimum ſubactoque iudicio inſtructum requirere Practicum, quas ego ſum cholera etiam grauiori conflictans vix vnquam adhibui. Ipſe certe repetitis mediocribus doſibus, homo natura debilis, eo deueni, vt finem facere conſultius ducerem, turbato capite, in quo caſu opium audacter propinare, periculoſae rem aleae eſſe, grauiſſimis rationibus conuictus ſtatuo, atque id ipſum vt alia, liquido demonſtraturus eſſem, ſi quem meditatus ſum ab aliquot annis, tractatum de opii virtutibus et vitiis, diſtracto concatenatis negotiis perficere liceret. Credo tamen ſaepe tempus breue quod aegro viuendum ſupereſt, ni finis ſit ſymptomatum, validam et aequam vi motuum flagitare doſin,

16) Obſ. I.

dosin, trutina iudicii practici determinandam, hicque non semper valere artificium *Syluii* qui in sua Praxi ne noceret diuisam completam dosin opii in minora praebia repetitis vicibus exhibere sensim maluit, quam totam simul et semel.

Verum et operae pretium est, determinare accuratius, quodnam inter tot opiata officinalia videatur huic morbo aptissimum. Firmiter credo omnes compositiones, quae opium habent, cassae nucis pretium habituras, si ab iis abesset opium, neque enim vllam correctionem opii agnosco, quae ab adiecto valde confuso saepe apparatu, inter se pugnantium, tanto minus obtineretur. Quicquid ergo illa officinalia opiata praestant, id praestant, quatenus opium continent, crudum plerumque, cumque ob molem sine ratione auctum ventriculo languido graues sint, et ob saporem aduersum palatum offendant (namque non omnium papillulis nerueis diascordium et theriaca arridet) nauseamque cieant, et praesentem intendant, vomitumque facile quem compescere debebant, ea propter moveant, ego in hoc morbo nil aliud consuluerim quam assumtu facilia remedia, vel in liquida forma guttulas Sydenhami, vel in solida pilulam ex depurato a faecibus opio, quibus binis solis fere vti in praxi soleo, raro ad composita confugiens

giens. Alia vero adhuc, eademque magni momenti ratio supereſt, cur in hac ſimplicitate hic ſubſiſtendum ſuadeam. In Philonio, Mithridatio, theriaca, diaſcordio, quorum poſtrema ſpecifice in vomitu et diarrhoea inſeruire, nonnulli ob terrea et adſtringentia admiſta credunt, farrago habetur multorum acrium et aromaticorum, quae ſi magna ſit ventriculi et inteſtinorum abraſorum ſenſibilitas, atque in iis praeſto fuerit phlogiſtica diatheſis, neutiquam conducere poſſunt, ſed potius nocent certiſſime. Nimis ego cum facerem periculum, aſſumto diaſcordio ſenſi dictamnum, galbanum, piper longum, et zingiber ineſſe; neque ſane opium ipſum, quod in ſe eſt calidiſſimum, fauceſque vrens inſtar piperis, quodque cuti impoſitum illam rubefacit et quandoque inſtar veſicatorii agit, auderem in latam ſuperficiem extenſum imponere loco inflammato. Cur vero cum exigua eius doſis ſufficiat, et liquido ſimul aſſumto dilui et diſcontinuari queat, volumen opiati remedii augendum eſſet calidis et acribus nil iuuantibus, ſed noxas certas inferentibus? Noui *Timaeum* Barones ſuos, commenſales ſuos, ſeque ipſum, *Riuerium* ſuum gladiorum fabrum, [17]) noſtrum

17) Cent. II. obſ. 19.

noſtrum de *Helwich* ſuum ciuem [18]) feliciter ſanaſſe calida et acri theriaca, ſed noto omnium horum aegrorum choleras ortas fuiſſe ab ingeſtis, ouis barbi piſcis, malis perſicis, valido purgante, cucumeribus, melonibus, vino recenti, et cereuiſia foeculenta, quibus omnibus ipſo vomitu et diarrhoea ſat cito excusſis, ſine laeſione locis illata vbi antea latitabant, locum opportunum habere poterat hoc remedium. Intus autem ſi genita ſit acris materies, ſi tenax parietibus inteſtinorum diutius adhaeſerit, ſi febrem accenderit, ſi duodeno et pro ventriculo phlogoſin et arroſionem induxerit, procul abſit tum certo veneno ſi quid habitura theriaca, opiumque potius ſincerum in vſum vocetur. Idem hoc monitum extendendum volo ad clysmata, quibus alioquin in morbis inteſtinorum a diatheſi phlogiſtica immunibus ſuo tempore optime additur theriaca. Obſeruaui ſcilicet ipſe, ſub initium meae praxeos *Sydenhamum* imitaturus atque clyſtere ex lacte vaccino et theriaca dyſentericos curaturus aliquoties mala fuiſſe exacerbata, ardorem inteſtinis illatum, febrem mitiorem antea, deteriorem redditam, tenesmum auctum, quare alio tempore ea doſi opii quae in vncia vna et dimidia habetur clysmati

18) Loco cit.

mati lacteo indita, aeque profui, atque interim noxas ab acribus admiſtis naſcentes felix euitaui.

§. 35.

Nunc rerum ordo poſtulat, vt excuſſis potioribus medicaminum generibus intus adhibendis (nam de externis adhuc ſeorſim acturus ſum) de potu ordinario cholericis praeſcribendo cogitem, qualisque is eſſe debeat accuratius inquiram. Duo vero primarii ſcopi adimplendi veniunt, per ingerenda potulenta, vnus vult, vt obtundatur et eneruetur acrimonia, alter vt quantum poſſibile eſt liquida per enormes profuſiones exhauſta reſtituantur, vitalisque humorum circuitus ſuſtentetur. Prior per diluentem et demulcentem, poſterior per nutrientem vtcunque potum, vterque vna eademque ipſius prudenter electi indole, ſubinde impetrari poteſt. Multum a veteribus commendata fuit ſimplex aqua tepida, vt in ſuperioribus cum de emeticis agerem expoſui, ſimplex remedium, a quo tamen ſi nutritionem haud ſpectes, plura expectari poſſunt, quam crederet non intelligens, et non expertus. Sed nec ſtatim in principio impuro exiſtente corpore nutritione opus eſt, aliter vero aqua tepida affatim hauſta ſummum certe eſt omnium acrium antidotum, *Potus Cholericorum.*

dotum, ſummumque dum villos emollit et laxat anodynum praebet. Noſtro ſeculo foliis thée additis gulae melius placemus, neque tamen ipſorum additione niſi largior fuerit, et pauliſper ſubadſtringentem virtutem aquae conciliet, perdimus illos effectus, quos a mera aqua tepida veteres obtinebant; relaxans quippe aquae tepor facile ſubadſtringens herbae principium ſuperat. A *Sydenhami* tempore, qui ius tenuiſſimum pulli vix carnis ſaporem referens potui deſtinavit, multis aliis medentum id placuit. Copioſius talia iuſcula haurire iuſſit *Hoffmannus*, [1]) macrum eiusmodi commendauit *Pitcarnius* [2]) eodemque vti aegram ſuam voluit *Ridley*. [3]) Fuere tamen qui aliorum animalium carnes non minus huc facere crediderunt. Iusculum carnis vitulinae aeque bonum eſſe, ac pulli aſſeuerauit noſter de *Helwich*, [4]) neſcio an forte motus auctoritate Iacobi *Sponii* [5]) qui aegrum graui cholera laborantem intra aliquot horas iuſculo carnis vitulinae ſe curaſſe recenſet. Alia brodia praeter ius vitulinum ex carne caponum gallinarum boum commendat *Teich-*

1) Tom. IV. Part. III. p. 589.
2) Loco citato.
3) Obſ. citata.
4) 1701. p. 94.
5) Aph. nou. ex Hipp. coll. Sect. V. aph. 76.

Teichmeyerus, [6]) iisque incoqui praecipit lactucam, portulacam, chorefolium, ſpinactiam, folia borrag. rad. cichor. ſatis apposito opinor, conſilio. Sed loco eiusmodi iurium leuium ex carnibus, alia decocta lenia partim demulcendi partim nutriendi fine dari poſſe nemo dubitauerit. Reſpondent priori intentioni decoctum CC. nec non fol. malvae, et altheae, quod inſtar omnium eſſe *Pitcarnius* exiſtimat [7]) itemque liquiritiae Abr. *Vatero laudatum*. [8]) Duplici vero illo reſpectu prodeſt decoctum hordei cum vel ſine ſcorzonera, atque auenaceum, quod poſthabito iure pulli Sydenhamiano noſter de *Helwich* eligendum voluit, [9]) ſatis certus, hoc ipſo et acrimoniam in volui, eiusque muciditate inteſtina aduerſus acrium iniuriam praemuniri. Verum multis encomiis quoque condecoratur a Practicis vere polychreſtum ſerum lactis dulce, in cuius honorem integram diſſertationem *Hoffmannus* conſcripſit. Atque illud vicem potus ordinarii in cholera commodiſſime et vtiliſſime explere, neque in ſiti tantum

6) §. 24.
7) Loco cit. p. 166.
8) Diſſ. pag. 21.
9) Hiſt. Morb. Vr. 1701. pag. 94. et 1702. p. 124.

tum extinguenda, qua crudeliter ſaepius vexantur aegri, verum acrimonia quoque temperanda, et inflammatione impedienda vſum exhibere deſideratiſſimum rectiſſime is aſſeuerat. [10]) Quin et caſum habet viri qui cholera ſaepe vexatus, ſe miſſis remediis omnibus a medicis ſibi commendatis, fere ſolo ſero lactis leuatum narrauit. [11]) In dyſenteria bilioſa cholerae affini ſerum lactis recens multum aegris commendauit optimo cum effectu *Degnerus*, [12]) cum virtute eximia abſtergendi et ſimul reſiſtendi putredini alcaleſcentis bilis polleat, *Bagliuum* hac in re ſecutus ſolo ſero lactis dyſenterias profligari a multis Autoribus pro magno ſecreto habito teſtatum. Non autem alienum eſt a rationali medendi methodo lac ipſum atque *Hoffmanno*, iudice, tum maxime id in vſum vocari debet, ſi a veneno et acri purgante morbus fuerit enatus, cuius vtriusque principium rodens et cauſticum tum egregie inuoluit. [13]) Equidem vir clariſſimus quando cholera cum febre coniuncta eſt non facile lac dandum eſſe monet, quia facile ex calore in caſeum coaleſcat, vnde maiores cruciatus et viſcerum tenſiones oriantur, quare

10) Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 589. 592.
11) p. 608.
12) Cap. III. §. 77. et cap. V. §. 30.
13) p. 592.

quare vt citra noxam exhibeatur *Tralliani* confilio cum bona parte aquae id ebullire debere vult, [14]) alioque loco lac cum aqua miftum commendat. [15]) Non credo folum calorem febrilem fine caufa alia febri fociata, veluti vitio primarum viarum, lacti recens mulcto facile minari coagulum, namque adeo per illum caloris gradum quem dum ebullit experitur, quem autem corpus humanum viuum nunquam fert non coagulatur fed potius praeferuatur a coagulo, nifi antea ad id aliunde iam pronum fuerit, fed difpofitione praefente leuior etiam calor coagulationi fufficit. Interim cum febrilis calor noftros humores condenfans tenuiffimis liquidis per fubtiliffima vafa tranfire aptis oppugnari poftulet, lac vero in fe multam terram foueat, quae coevndo cum oleo ftrigmentis craffis cafeofis generandis apta eft, melius omnino aqua bene dilutum lac, fiue hydrogala inferuit febrientibus cholericis, quam lac in fe fpectatum, praecipue fi fpiffius diuesque oleo et terra fuerit. Accedit in cholera fumma debilitas ventriculi, fubigendo vifcido et oleofo lacti impar, quare in hoc morbo proficuum magis eft aqua temperatum adhibere, nifi in ipfo oleo medicamen acrimoniam irritantem

 impu-

14) p. 595.
15) Tom. IV. part. I. p. 351.

impugnaturum quaeramus. Lacti naturali animalium respondent emulsiones, oleosorum seminum, lac artificiale sistentes, quae si nimis spissae haud fuerint, aeque proderunt in omnibus illis casibus in quibus lac exhibere conueniens habetur. Illa communi consensu probantur a practicis nostri aeui, sed et vetustissimo iam tempore acrimoniae inuoluendae aptissimae iudicatae sunt. Si acriora fuerint quae excernuntur ardore et siti accedente, cucumeris semen dandum esse cum aquae cyathis voluit *Aegineta* [16]) atque idem de squamatum et cum aqua tritum *Aetius* commendavit amylo simul adiecto. [17]) Omnia autem hucusque adducta potulentorum genera in eo sibi similia sunt, quod omnia demulcente virtute polleant, hinc perinde esse videtur, quodnam ex illis aegro praescribatur, vel quodnam alteri substituatur, si nausea quae perpetuo morbum comitatur, hoc vel illud detrectet. Vt vt vero aliquando quoad vsum et sperandum inde emolumentum nihil vel parum inter omnia discriminis detur, accuratius tamen saepe vnum prae altero selegisse iuuat, si contra seueriores artis leges impingere, atque dum prodesse debemus, aliquam noxam non inducere velimus.

16) Lib. III. c. 39.
17) Tetr. III. serm. I. c. 12.

velimus. Dum toto coelo a ſe inuicem diſtant alcaleſcens bilis acrimonia, eminensque acidum rodens, ſolum vel bili admiſtum, non facile aſſeret aliquis, correctioni vtriusque vnum idemque potus genus, qualecunque fuerit aeque inſeruiturum. Aqua tepida excepta, omnia liquida de quibus locutus ſum ipſa deſciſcere poſſunt a naturali ſua indole atque vel aceſcere vel alcaleſcere. Nonne ergo ſatius eſſet, ſtabili et nunquam inſuper habenda lege bili alcalicae ſaltem aceſcere, acido vero ſaltem alcaleſcere apta liquida opponere? Bina exempla habet Henricus ab Heers,[18]) hominum ſolo vſu lactis in ventriculo acidi facti et coagulati cholera morbo tantum non internecino correptorum. An talibus aegris ſi omnia quam rigidiſſime agenda ſunt, bene conducent emulſiones vel lactis ſerum quis negauerit iura pulli aliarumque carnium, addito quandoque vitello oui longe magis conuenientia futura. Ab oxygala choleram enatam notauit Bonetus,[19]) atque *Adolphi* cum Londini degeret; choleram vidit ex potus genere Anglis vſitatiſſimo Poſſetrinck dicto, quod ex lacte et aceto vini parant.[20]) Iam ponatur cholera ab ingeſtis acidis et aceſcentibus,

18) Obſ. 15.
19) Med. Sept. Part. I. p. 531.
20) Diſſ. de Paſſione cholerica p. 61.

tibus, quis non videt illis ex consilio medici superingestum lac quod per se solum cum acido mistum sano homini choleram ingenerare aptum est, suppetias morbo potius laturum, tantum abest vt aptum contra eum remedium audire queat. Optime certe *Hoffmannus* eapropter si acida saburra praesto est, et eius excretio impeditior, cautissime lac propinandum vel ad minimum absorbente quodam permiscendum praecepit. [21]) Atque ita se gessit in curatione cholerae a fragis, cui equidem lac opposuit ad mensuram dimidiam singulis horis sed simul etiam pulueres absorbentes. [22]) In alia cholera a erasis et fragis fermentationi et acori in primis viis obnoxiis enatae, dedit etiam lac, non tamen ausus est, id exhibere solum, sed iussit remisceri cum tantundem iuris pullorum, atque interposuit absorbentia. [23]) Neque tamen circumspectus cauere potuit, quo minus in principio largiter ingesto lacte subsequerentur vomitus caseosi, acidum in primis viis arguentes. Quanquam autem audacter continuato hoc potu illi tandem desierint, mallem tamen ego in cholera ab horaeis fructibus pendente abstinere prorsus a lacte, atque eligere forte

21) Med. Syst. Tom. IV. Part. III. p. 592.
22) ibid. p. 610.
23) Tom. IV. Part. I. p. 364.

forte decoctum C. C. aut ius pulli, carniumque aliarum tenue primo, dein ſaturatius, et addito vitello oui acoris rodentis egregio antidoto magis medicamentoſum et alimentoſum redditum. Licet vero vbi cum acidis vel aceſcentibus in ventriculo ſtabulantibus res eſt, lac melius abſit penitus, inſignem tamen quandoque vbi nidoroſa et alcaleſcens cauſa adfuerit promittit fructum lac dilutum aqua, ſimplici, vel minerali cum emulſionibus, ipſumque lac ebutyratum cum oleoſo principio elementum lene acidulum arcte miſtum continens. In dyſenteria bilioſa lac hoc ebutyratum multis laudat *Degner* [24]) ob vim abſtergentem et putredini bilis reſiſtentem, atque in omnibus morbis a bile rancida pendentibus probatur et commendatur toties a *Boerhaauio* atque illuſtri van *Swieten* quis ergo tali cholerae apprime reſponſurum dubitaret? Sed taedioſus forte euaderem Lectoribus ſi omnia alia potulentorum genera quae huic morbo diuerſisque indicationibus in medela ſtabiliendis quadrant, fuſius expenderem, quare potus aromaticos et adſtringentes vt aquam cinamomi et aquam chalybeatam *Piſoni* laudatam, [25]) nec non acidulatos per ſyrupum limonum et acetoſitatis

24) Cap. III. §. 77.
25) Lib. III. p. 74.

tatis citri ad mentem *Pitcarnii*[26]) ſilentio praetereo maxime cum de aromaticorum, adſtringentium, acidorumque vſu antea iam ſatis egerim. Vix vnquam vero vellem concedere aegris tenuiſſimam cereuiſiam, ob fermentans eius ingenium, quod in calido loco vt ventriculus eſt, ſtatim ſeſe prodere incipit, quamuis *Pitcarnium* eam modo acida non ſit, aeque facile ac alios potus lubenter conceſſiſſe videam. [27])

§. 36.

Aqua frigida. Nondum autem a conſideratione potus conuenientis aegrorum Cholericorum poſſum diſcedere, expendi quippe meretur ſingulari ſtudio aqua ſimplex frigida, mirum quantum a non paucis ad curationem huius morbi laudata, quin ſola ſaepe ſufficiens declarata, pro hoc ſine obtinendo. Placuit eadem maximopere veteribus Medicis, iis hercle quorum magna ad hunc diem auctoritas eſt, quosque tanquam Auctores claſſicos allegare licet, vbi lites Practicorum diuerſa ſentientium componendae ſunt. Optimum potum eſſe aquam frigidam aſſerit *Trallianus*, [1]) aquae frigidae cyathum in curatione commendat *Aegineta*, [2]) *Celſus*

26) Loc. cit. p. 166.
27) L. c. p. 166.
1) Lib. VII. c. 14.
2) Lib. III. c. 39.

ſus quoque illam potandam vult, [3]) atque adeo extremum cholericorum affectuum remedium frigidum potum eſſe *Oribaſius* declarat. [4]) Paulo magis haeſitaſſe videtur *Aetius* qui frigidam equidem quoque commendat, [5]) ſed ſimul monet ne nimis frigida ſit, cum alias calorem innatum ſuo ſtupore offendat. Paradoxum videri poterat *Aretaeum* frigidae omnino fautorem in alterum, tamen etiam extremum dilabi et calidae quoque Encomiaſten euadere potuiſſe. [6]) Nempe *ſi omnia antiqua ſtercora*, inquit, *deiecta fuerint, et bilioſi humores tranſierint, bilioſusque vomitus, diſtentio, faſtidium anxietas, virium labefactatio adſit, tunc frigidae aquae cyathi duo aut tres propinandi ſunt, ad ventris adſtrictionem, vt ſtomachus ardens refrigeretur: aſſidue vero id cum potam aquam vomuerit facito, facile enim frigida in ventre incaleſcit.* En multa cura commendatam frigidam! Pergit autem aliquibus interiectis: *Coeterum ſi omnia euomit, et ſtomachus nil retinet, ad calidas potiones et cibaria recurrendum: nonnullis enim haec mutatio vomitum compeſcit, calida vero calidiſſima ſunto.* Neque deſunt elogia

Z 5 tepi-

3) Lib. III. c. XI.
4) Medic. Collect. lib. V. c. 9.
5) Tetr. III. Serm. I. c. 12.
6) Lib. II. curat. acut. c. 4.

tepidae, in monumentis Veterum, vt ſupra §. 22. fuſius ediſſerui. Frigida ergo, calida, et tepida, antiquitus in vſum vocata apud Cholericos, ſimul quaſi Medico diuerſis indicationibus intento acclamant:

Elige cui dicas, tu mihi ſola places.

Quod autem frigidam de qua iam ex inſtituto ago, attinet, illa certe et recentiori aeuo ſuos Amicos habuit, et habet ad hunc diem. Miſſis qui nimio affectu catholicum et panchreſtum remedium frigidam declarant, et quandoque ſine diſcrimine aegris commendare ſolent, ſolum medio tutiſſimum euntem allego Clariſſimum *Hoffmannum*, qui ad Veteres prouocans de potus aquae temperate frigidae vtilitate in cholera multis obſeruationibus ſe quoque conuictum eſſe ſcribit, 7) atque iterum potum aquae frigidae, in hoc morbo quo calidior tempeſtas, regio, ipſaque aegrotantis conſtitutio fuerit, eo ſalubriorem exiſtere affirmat, 8) ex hoc etiam fundamento virtutem deducens quam acidulae in cholera praeſtant. Rationes expectandi proſperi effectus ſuccincte ſimul tradit, quod aqua frigida ardorem ab attritu partium ſulphurearum pendentem reſtinguat, biliosam humorum acrimoniam diluat, et robur

7) Med. Syſt. Tom. IV. Part. III. p. 589. 592. 608.

robur solidorum insigniter a vehementia morbi labefactatum erigat, iisdemque nominibus in Diss. *de salubritate potus frigidi* conscripta eum denuo in cholera extollit. Neque exemplis adductis asserta sua comprobare intermisit, Chiliarcham inscio se medico aquam frigidam potantem, et sic sanatum,[9]) alium Virum militiae deditum larga quantitate aquae frigidae hausta liberatum ab hoc malo,[10]) generosam foeminam ptisana frigida leuatam[11]) producens. Prorsus eiusmodi casus cum apud alios Obseruatores non minus legantur, quos inter *Borellus*[12]) mulierem habet cholericam aquae frigidae potu restitutam, absurdum foret effectus insignes simplicis huius remedii temere negare, atque impugnare. Verum enim vero non desunt quoque in contrario Practici, qui a potu frigido aegris cholericis exhibendo solerter, multaque cum cura dehortantur. Omnem eiusmodi potum sollicite vitandum esse inculcat *Ettmullerus*,[13]) abesse iubet in cura potum frigidum anxietates flatulentas singultuosas et motus spasticos inferentem *Iunckerus*,[14]) eumque cum inflam-

9) Med. Syst. Tom. IV. Part. I. p. 365.
10) Part. III. p. 606.
11) Diss. de salubritate potus frigidi §, 16.
12) Cent. I. obs. 27.
13) Loc. cit.
14) Tab. de cholera p. 505.

inflammationibus inteſtinorum excitandis et iuuandis par ſit, damnoſum omnino declarat *Teichmeyerus.* [15]) Crediderim ego eo magis et hos bonos Viros audiendos eſſe, quo magis negari nequit, adeo inter cauſas naſciturae cholerae referendam eſſe aquam frigidam, ſiue intus ſiue foris corpori applicitam. Ipſe ſane inter veteres *Trallianus* licet in mali medela frigidam praeberi iubeat, tamen in catalogo cauſarum enumerando occupatus frigida quoque applicata habet, vt epithemata quaedam, aut frigidarum aquarum vſum, ſi eas bibant aut in iis natauerint. [16]) Ex recentioribus laudatus modo *Iunckerus* morbi cauſis ſpeciatim annumerat refrigerationem corpori calenti admiſſam imprimis ſi pedes aquae frigidae immergantur; [17]) ipſamque choleram aeſtiuam ardoribus ſolaribus debitam abuſu aquae frigidae, vel glacie refrigeratae inuitari contendit Abr. *Vaterus.* [18]) Confirmat haec generalia aſſerta quem vnum nominaſſe ſufficiat ſingularibus obſeruationibus annotatis *Schenckius*; [19]) *Quandoque*, inquiens, *fit cholera ex frigidae aquae potu, vel ex balneo aquae*

15) §. 12.
16) Lib. VII. c. 14.
17) Tab. de cholera p. 499.
18) §. 3.
19) Obſeruat. lib. III. obſ. 1.

aquae frigidae vel ex frigido epithemate. Vidimus quendam incidiſſe in choleram, cum nudis pedibus ſuper lapides frigidos obambulaſſet. Alium qui ſingulis diebus aeſtiuo tempore pedes frigida aqua lauarat, eſt enim maxima compaſſio quam os ventriculi cum pedibus habet. Facile opinor in praxi verſati omnes, ſua quae animaduerterunt ipſi, exempla adductis poterunt adiicere. Qualia ergo paradoxa! Conſtat per experientiam inconcuſſam, frigidam aquam curare choleram, ſed conſtat per eandem experientiam, aquam frigidam choleram excitare. Nonne vero exinde patet in corpore humano indiuiduali potius quaerendam eſſe cauſam, cur ſanum illud praeſtet ab hoc morbo, vel id ad eum diſponat aqua frigida, quam in aqua frigida ipſa: ita certe rei accuratiſſima contemplatio ſtatuere iubet. Nulla abſoluta vis eſt aquae frigidae in neruoſas tunicas ventriculi et inteſtinorum, ſique illa his in omnibus ſubiectis omnique tempore foret amica, magnum ſane errorem commiſiſſet omnium Medicorum poſt ſe experientiſſimus *Hippocrates* pater frigidum inimicum neruis, calidum vero vtile eſſe teſtatus.[20]) Cedro digna habenda ſunt verba Illuſtr. *Hoffmanni* epicriſi ad caſum Viri potu frigi-

20) Lib. V. aph. 18.

frigido ſanati inſerta:[21]) *Potus frigidus heroicum eſt auxilium, nec credendum eſt, quod vni prodeſt, id alteri etiam prodeſſe. Medendi enim methodus nititur exacta diſcretione indiuiduorum.* Conuictus ego theoria et praxi adiicio, heroicum hoc auxilium prodeſſe ſaltem heroicis corporibus, chiliarchis, et robuſtis militibus, quales Vir optimus eo curatos refert, talibusque qui ſtructura corporis firma et valida his haud ſunt abſimiles: iisque magis certe conuenit, quam teneriori-bus et delicatulis foemellis, aut Viris delicatulo corpore foeminas referentibus. Gulam aeſtuantem, linguam ſcabram et ſiccam, ſi conſulas, deſideratiſſimus et acceptiſſimus ac valde reficiens potus cholericis ſine exceptione omnibus habebitur aqua frigida, ſed non omnibus conducet promiſcue. Ferent eum aegrotantes cholera et cum fructu ferent cautionibus iuſtis porrectum, qui ſani potus frigidos et externas refrigerationes impune ferunt. Debilibus, ſenſibilibus, qui leui vento admiſſo, qui leui hauſtu frigidiuſculo ingeſto, murmura ſtatim ventris, tormina, deiectiones, experiuntur, non aeque reſpondebit, ſed cholerica ſymptomata omnia ſubito peiora reddet. Quam mire a ſe inuicem differt fibrarum membranarumque fabri-

ca

21) Tom. IV. Part. I. p. 366.

ca et contextus, ex quibus diuerſorum hominum ventriculus et inteſtina coaluere? Omnium hominum fibras contrahit aqua frigida, eo momento, quo talis ipſis applicatur, id verum! an vero in omnibus ſiue natura robuſtiores, ſiue debiliores fuerint, illum ſtatum contractionis quem induxerat relinquit, ceſſans agere vt frigida? non videtur! Reſtituitur forte robuſtioribus ille elater, qui paulo remiſſior redditus per morbum erat, debilibus autem natura, morbo magis debilitatis, maior ſaepe poſt contractionem inſuetam ac nimis rigidam quam vt eam irritabilis et ſenſibilis fibrarum teneriorum indoles ferret, laxitas naſcitur, torporque aliquis remanet, paralytici quid habens. Neque hoc mirum, nam ipſam paralyſin frigore induci poſſe rerum vſus docet. Nunquam etiam prodeſſe poteſt aqua frigida applicata ipſi parti inflammatae, niſi impetus febrilis a tergo vrgens, agensque in obſtructos arteriolarum apices, ſit ſat remiſſus in ſe, vel remediis antea adhibitis remiſſior redditus, atque eapropter inflammatio retropulſu ſit ſanabilis, vt leviores omnes mature ita tractatae. Gravior inflammatio quaeuis, medelae ſubiecta, poſtulat minutam capillarium reſiſtentiam, humores meabiles redditos, canales obſtructos laxiores factos, impetum

tum febrilem retusum, aliter vix sanabilis. An autem haec omnia vere praestare potest aqua frigida? Vereor vt aliquis hoc demonstrauerit vnquam! Sed inflammatione fere necat atrocior cholera, operae pretium ergo erit considerauisse curatius, ingenium causae mortis, actionumque genuinam remediorum ad ipsam abigendam praescribendorum a Medico. Mihi sane nil iuuaminis eueniebat a frigidis, a frigidiusculis adeo statim male affecto, magnam vero partem salutis debeo assumtis et applicatis tepidis, *Boerhaauio* [22]) de frigidis tacenti penitus, in inflammatione intestinorum tantopere commendatis.

§. 37.

Vinum. Ab aquae potu actu frigido, transeo ad potum potentia calidum, Vinum, quod aegri interno quodam instinctu anhelaret solent ipsi, atque plerumque multis precibus a medente efflagitant. Aeque faciles in eodem porrigendo videntur fuisse veteres, ac in permittenda aqua frigida namque apud *Trallianum* [1]) vini speciatim sabini et cnidii, apud *Aeginetam* [2]) vini palmatiani aminaei, spathitis, omphacomelitis, rhoitis, myrtitis

22) In Aphorism.
1) Lib. VII. c. 14.
2) Lib. III. c. 39.

titis mentionem iniectam legas. *Aetius* [3]) quoque vinum commendat, *Celſus* [4]) id cum aqua frigida miſceri cupit, eademque miſcela *Aretaeo* [5]) placet, indeque *Piſo* pro potu aquam cinamomi vel chalybeatam cum vino collaudauit. [6]) Recentiori aeuo non quidem prorſus vniverſali conſenſu Medici aegris ſuis cholericis vinum permittendum eſſe crediderunt, ſunt tamen et non pauci qui illis eodem non adeo rigide interdicendum eſſe rati ſunt. Poſt Rheomatiſmum mercurialibus et purgantibus impugnatum enata cholera, dediſſe ſe aegrotanti cum fructu vinum gallicum rubrum recenſet *Ridley*. [7]) In dyſenteria bilioſa *Degnerus* [8]) vtut vina generoſa ſpirituoſa dulcia quemadmodum hiſpanicum minus fructuoſum inuenerit, cum potius anxietates aeſtum et ſitim excitaret, vtut vina rubra adſtringentia nocuiſſe praecipue ſub initium morbi, neque etiam in declinatione ſeſe laudabiliter geſſiſſe, niſi prorſus malo ſuperato obſeruauerit, tamen vinum rhenanum et moſellanum, non

3) Tetr. III. Serm. I. c. 12.
4) Lib. III. c. XI.
5) Curat. Acut. lib. II. c. 4.
6) Lib. III. p. 74.
7) Obſ. 6.
8) Cap. III. §. 78.

non quidem vetus et generoſum, ſed levius, bonum interim, gratum, et leniter ſubacidum, per totum aegritudinis decurſum contra aliorum opinionem eximium ſe deprehendiſſe teſtatur putredini biliosae reſiſtendo, tonum ventriculi et inteſtinorum reſtituendo, ac vires exhauſtas refocillando. Sed et in cholera ipſa mixturam ex vino rhenano, aqua cinamomi et ſacharo optime profuiſſe ſaepe et modice datam notauit *Deckerus.* [9]) Vinum quoque generoſum ſolum, vel aqua dilutum, itemque mediocriter adſtringens indulſit aegris Abr. *Vater*, [10]) hiſpanicum remittente morbo concedendum voluit *Teichmeyerus* [11]) atque impenſe deſideranti homini cholerico permiſit *Lentilius*, vt panem vino generoſo intingeret. [12]) Atque certe non vna videtur eſſe ratio aegris cholericis hauſtum vini proficuum declarans, ſed pluribus indicationibus explendis id convenire morbi phoenomena veroſimile reddunt. Inter cardiaca ſine dubio ſummum habetur optimae notae vinum, quis ergo illud apud aegros ab horrendis liquidorum profuſionibus debiliſſimos et ſyncopticos plane non indicatiſſimum clama-

9) Exercit. pract. p. 272.
10) §. 24.
11) §. 27.
12) Eteodr. p. 259.

clamaret? Deinde cum toties ab epoto vino generosiore ac praecipue subadstringente vel solo vel aqua remixto frustra tentatae aliis lectissimis remediis vrgentissimae vomitiones et deiectiones conquiescant illico, roburque pristinum debilibus ventriculi et intestinorum villis inde quam citissime redeat, et ad hos fines impetrandos valere vinum, rerum vsus monstrat. Hoc ipsum edocti optime iam intellexerunt veteres modo laudati omnes. Sane vinum suum sabinum et cnidium ad erigendas vires laudauit *Trallianus*, sique lationis impetus sisti non possit vinum aliquod austerum dandum voluit *Aegineta*. Eadem ratione vbi intolerabilis effusio existat, et pulsus emolliatur, apprehendatque frigiditas, et exudatio aliquando etiam singultus, ad vinum transeundum esse *Aetius* censuit. Neque alia mens fuit *Aretaeo*, *si omnia vrgeant*, inquienti, *tentio neruorum, singultus inanis, et pedes contrahantur et aluus multa excernat, et homo caliget, et pulsatus arteriarum ad imbecillitatem vergant, tunc huiusmodi aegri statum praevertere opus est. Quod si iam adsit, frigidae ac vini multum praebendum est.* Tempora quoque apta in exhibitione vini probe obseruanda proposuit *Celsus*: *Quod si*, ait, *vehementer et vomitus et deiectio et sitis vexant et adhuc subcruda sunt, quae*

 vomun-

vomuntur nondum vino maturum tempus est, sed aqua egelida danda. Ad cum discussa cruditas est, tum magis verendum ne anima deficiat, ergo tum confugiendum est ad vinum. Omnia autem haec colligens ex veterum sibique propiorum Auctorum monumentis *Piso* intolerabili fluxioni et sisti nequeunti cum extremorum frigore conuulsionibus et animi defectu vinum opponendum monuit, tumque id saluberrimum esse declarauit. Cumque experientia Recentiorum vetustissimae omnino respondeat praeter alios Abr. *Vaterus* non potuit non pronunciare viribus nimis deiectis analeptica ex vino praesertim generoso non saltem eas reficere, sed etiam vomitum et alui fluxum sistere. Quid vero aegrotantibus his felicitatibus, quae solae in votis esse poterant, tandem potitis, deesse amplius pro salute plenaria obtinenda censeri posset? Omnia bene sese habent hactenus, neque ego ausim promiscue mali quippiam ominari cholera laborantibus ab vsu vini; subesse tamen aliquid periculi atque a metu huius praestantissimos Auctores non liberos fuisse valde suspicor, atque exinde praecipue colligo, quod fere omnes vinum et non nimis spirituosum, et parca copia assumendum, vel et prorsus lymphatum velint. Vinum nec viribus validum, paulatim et per interualla ad cochlea-

cochleare abſorbendum eſſe interendo micas, multitudinemque eius vitandam expreſſis verbis praecipit *Aetius*. Nequaquam meracius, ne aeger fiat ebrius, et ne laedantur nerui poſtulat *Aretaeus*, ſed cum cibo et panis buccellis madefactis. Vinum oportere eſſe tenue et inſuper cum aqua frigida remixtum praecipit *Celſus*. Atque recens Scriptor Abr. *Vater* parce vtendum eſſe vino albo odorifero, vel mediocriter adſtringente ſolo vel aqua diluto iniunxit. Vnde autem hae cautiones? cum generoſiſſimum vinum et citius vires reuocet, et imbecilli tubo alimentorum citius iuuamen adferat, quam inerti aqua temperatum ſegniusque ita redditum. Non fallor, ſed certus affirmo, ſolam febrem adeo ſaepe cholerae ſociatam circumſpectos reddidiſſe viros grauiſſimos in propinando vino. Memoratu dignum eſt *Aeginetam* dum vinum commendat diſtinctione addita quasdam eius generoſioris ſpecies non febrientibus, alias tenuioris febrientibus commendaſſe. Neque ſine attentione debita praetermittendum eſt *Trallianum* valde ſane vino fauentem, ac multos ſe nouiſſe aſſerentem qui ex ſola illius potatione praeter ſpem mortis periculum euaſerint, tum praecipue loqui de curatione cholerae non febrilis, ſed ex vitiato ſtomacho prouenientis, quae quod notandum

 ſine

ſine febre continua et eſſe poteſt et ſolet. Quem locum Tralliani vino adeo glorioſum dum citat *Sennertus* [13]) notanter addit verba, *ſed febrem abeſſe oportet*, atque placita *Tralliani* in hiſtoria ſua Medicinae recenſens *Freind*, [14]) illum non abſolute ſed ſaltem in quibusdam caſibus vinum meracum in cholera laudaſſe innuit. *Lentilius* quoque ſupra allegatus pulſu bono exiſtente ſaltem motus eſt, vt aegro ſuo petenti vinum concederet. Video equidem *Degnerum* [15]) in dyſenteria bilioſa omnis alius generis vina reiicientem rhenanum tamen et moſellanum nulla habita febris ratione ſiue adfuerit ſiue non aegris conceſſiſſe cum fructu, modo medice et modice adhiberetur, contra aliorum opinionem. Fides ſit penes Autorem! Delicatius vero mihi videtur cholerae quam dyſenteriae ingenium, atque ego nec ſuſpenſa manu illa laborantibus auſurus eſſem porrigere vinum, quando paulo citatiore impetu vibrantem pulſum offenderem, aegrumque de ardore interno inflammationis certiſſimo teſte querelas fundere audirem. Senſibiliſſimo ventriculo cum inteſtinis eryſipelate, phlegmone eroſione affecto, nemo facile aptam iudicauerit externam fomen-

13) Loc. cit. p. 167.
14) Pag. mihi 166.
15) Cap. III. §. 77.

fomentationem cum vino, neque eapropter in illo rerum ſtatu per illud ingeſtum rarefactionem induxiſſe circulantibus liquidis, motumque eorum incitaſſe, ac appulſum ad laeſas partes vehementiorem praeſtitiſſe habuerit adiaphorum Sique inſuper cauſa morbi princeps mordax et rodens fuerit acrimonia affectu iracundiae, aeſtuque humorum atque aeſtiuis caloribus prognata, vel agere iuſſa, atque nocentior reddita, quis quaeſo aſſumto ſpirituoſo ac calefaciente liquido illius nequitiam mortiferam inhiberi ſe paſſuram crediderit. Senſu certe qui in hoc morbo adeo exquiſitus eſt ediſcet ſtatim noxam inde naſcentem aeger ipſe, Medico etiam illam non animaduertente, et vinum minus opportune vel concedente vel ſuadente. Mihi quidem octauo a morbi ingreſſu die, quo nulla amplius cholera adeſſe poteſt, eo enim vel iam necauit, vel in aliud genus aegritudinis abiit, non mediocres turbas excitauit vini mollis dulcisue hauſtulus, ſub morbi duratione aqua dilutiſſimum hungaricum et rhenanum non tuli ſine exacerbatione malorum omnium, cum quibus conflictari debebam. Non ergo ratiocinando ſaltem, non attendendo ſaltem ad nocentia et iuuantia in aliorum corporibus, ſed propria experientia acutiſſime ſentiente didici, vix alio tem-

pore vinum locum habere in cholera, quam vbi orta fuerit a diaetae erroribus, vbi corpus delicti vomitu et ſeceſſu maximam partem iam excuſſum, vbi nulla locis in quibus haerebat vel quae ſub excretione praetergrediebatur laeſio illata, atque tunc impune et cum emolumento praeſentaneo ſaepe exhiberi poteſt. Sed febris, aeſtus internus, tempus aeſtiuum, cauſa biliosa magna ſemper haberi debent contraindicantia, licet phoenomena alia occurrant quae ipſum vini vſum permittere et expoſcere obiter attendentibus videbantur.

§. 38.

Topica. Praeter interna Praeſidia hactenus ad examen euocata, quibus cholera oppugnari ſolet, ab omni medicinae aeuo quoque moris fuit, per foris applicita indicationibus curatoriis explendis proſpicere, quare horum non minus mentio facienda eſt. Eo autem ſemper reſpici debere his moliminibus practici omnes fateantur neceſſum eſt, vt vel excretiones enormes compeſcantur, vel doloribus leuamen adferatur, vel et inflammationi metuendae obex ponatur. Dum autem veterum et recentiorum remedia topica, his ſcopis omnino dicanda diligenter expendo, fere magis illorum tolerari et calculum mereri mihi videntur, quam horum

horum; licet a noſtra aetate genium morborum magis edocta laudabiliora ſperare fas eſſet, quam a remotiore. Doleo valde communi nobis recepta medendi methodo abdomini aegrorum applicari talia, quae minimum in cholera maioris momenti potius abeſſe penitus, quam adeſſe apparatui medicinali debebant. Illum in genere per claſſes determinans Abr. *Vater* [1]) atque theriacalia, ſpirituoſa, aromatica, balſamica, reſinoſa, amara, acida, auſtera adſtringentia, ſub forma epithematis balſami, linimenti, vnguenti cataplasmatis emplaſtri ſacculorum et fomentorum promiſcue commendans vereor valde vt vbiuis bene conſuluerit ſaluti decumbentium. Interim theriacum et ſpiritum theriacalem, ſpiritumque vini camph. toti abdomini imponendum multis extollit *Borellus*, [2]) eademque remedia inter omnia topica excellere pronunciat *Ettmullerus* [3]) neque fugere poſſunt methodi, Stahlianorum gnarum elogia ſeorſim ſpiritui vini camph. ab iis affigi ſolita quem eapropter ad diſcuſſionem inflammationis laudat *Iunckerus.* [4])
Quanquam vero acrium, ſpirituoſorum et calidorum parcus admodum et circum-

 ſpectus

1) §. 21.
2) Obſeru. Cent. II. obſ. 27.
3) L. c.
4) P. 502.

ſpectus alioquin ſit Encomiaſtes Praeceptor *Hoffmannus*, in huius tamen morbi curatione largus ſatis et facilis eſt in eorum commendatione. Nimirum emplaſtrum de cruſta panis, ceratum ſtomachicum galeni, balſamum embryonis, ſpiritum theriacalem, linimenta ex oleis neruinis abſynth. menthae, balſamum peruuianum caſtoreum camphoram, cataplasmata ex fermento panis, aceto rutae et ſpiritu vini, oleum nucis moſchatae expreſſum, balſamumque ſuum vitae cum linteis duplicatis applicandum ſerio collaudat. [5]) Multo vero adhuc liberalior *Teichmeyerus* ſpiritum matricalem, aquam anhaltinam, balſama ex oleo nuciſt. deſtillato menth. ſaturei. lauend. anthos, ſaluiae rutae; emplaſtrum de baccis lauri, de tacamahaca, maſtichinum, carminatiuum cum theriaca, ſacculos ex radice galangae, zedoariae, calami aromatici, carlinae, angelicae, herbis aromaticis, baccis lauri iuniperi, ſeminibus 4. calidis maioribus non ſaltem commendat, ſed et quibusdam ex hoc catalogo depromendis haud contentus fere omnia ſimul et ſemel adhibenda cupit. Namque primo totum abdomen ſpiritu vel balſamo calido ſingulis horis inungi iubet, deinde ſuper imponi vult emplaſtrum aliquod ex laudatis ſyndone tectum, tandem totam abdo-

5) Tom. IV. Part. III. p. 590.

abdominis regionem foueri iubet ſucculis calefactis. [6]) Ecquis vero non animadvertit in cholera febrili, aeſtiua, biliofa, tantum abeſſe vt haec omnia cum bonis aegri rebus applicentur, vt potius oleum camino addant, atque interno igne ex numero viuentium abſumendum aegrum externo pabulo adiecto tanto certius exurant et conficiant. Audacter aſſero, in proprio corpore infallibilem experientiam adeptus, poſtquam amica magis exhortatione quam proprio inſtinctu motus, nonnulla ex memoratis et forte leniſſima eorum obiter adhibui, nunquam locum habere vere acria et ſpirituoſa quam in cholera febris et inflammationis calidique ſtimuli experte, atque ab ingeſtis ſolis enata, nullo intus in humoribus acri inquilino praeſente; neque etiam venenis acribus cicurandis, prodeſt calida et acris theriaca, quamuis pro ſpecifico alexiterio venditetur. Paterer interea lubens vt praeeunte *Hoffmanno*, [7]) in malo a fragis vel ceraſis auiduis ingeſtis excluſo ſpiritus vini rectificatiſſimus cum oleo menthae calide abdomini imponeretur, aut oleo amygd. dulc. cum oleo menthae et macis deſtillato remixto id perfricaretur, nunquam vero ſpiritu vel deſtillatis oleis vel aliis quibuscunque acri-

6) §. 26.

7) Tom. IV., Part. I. p. 364. et Part. III. p. 611.

acribus calefacientibus vterer, vbi in morbo ſine peccato diaetetico euenien-te, pulſum vel aliquantiſper acceleratum offenderem. Et in tali quidem caſu prae filii *Abrahami Vateri* conſiliis quae antea retuli, magis mihi placerent praecepta parentis *Chriſtiani*, [8]) qui ad violentam hypochondriorum extenſionem relaxan-dam, dolores mitigandos, et motus ſpas-modicos enormes ac vomitus inhiben-dos linimenta mollia ex vngu. dialth. neruino et oleo nuciſtae expreſſo, in-vnctionesque cum oleis coctis chamom. mt. abſynth. laudat; miſſa vero facerem deſtillata quibus illa acui vult, miſſoque ſpiritu vini camph. quem habet, cata-plasmata eius ex ſpeciebus neruinis et emollientibus ſimul maxime cum aqua ſimplice aut lacte praeparata in vſum vo-caturus. Saltem tunc ſpirituoſis omni-bus et aromaticis carens, ſi non turbae practicorum paucorum illorum mini-mum legerem veſtigia qui ardoris interni malorumque inde metuendorum non obliti vbi de externis roborantibus et adſtringentibus verba faciunt, ad illum ſine dubio reſpicientes de calefacienti-bus acribus tacent, et refrigerantia po-tius ſimul commemorant. Horum in numero refero *Sennertum* noſtrum, [9]) refri-

8) §. 25.
9) l. c. p. 166.

refrigerantia et adſtringentia ſuccum endiuiae acetoſae, portulacae, plantaginis, granatorum cum farina hordei aut pane miſtum commendantem itemque cydonia in vino vel aceto cocta, panemque toſtum coctum in aceto et aqua pro cataplasmate, addito puluere roſarum et mentha, quam tamen inter alia aromatica ſaltem admittit ſi materia morbi non ita ferueat. Neque tacere debeo *Foreſtum*, [10]) ſi a bile et alia cauſa calida malum pendeat, ſuccum ſemperuiui et portulacae applicari volentem, itemque *Deckerum*, [11]) ſucculum ex furfuribus in aceto coctum laudantem. Gaudeo valde de horum virorum ſententiis ſed obſecutos reor inſtructioni *Piſonis* et aliorum antiquiorum quorum dogmata hic ſua fecit. *Piſo* quippe maiori ex parte vacuata materia roborantia, ſed quae ſint perpetuo adſtringentia applicari iubet, quod vero probe notandum vt calida in frigida cauſa, ita frigida in cauſa calida commendat atque cum humorum excretio quieuerit, demum oleo maſtichino vel de abſynthio, vel nardino, cum vino exiguo ventrem fouendum eſſe monet. [12]) Apud antiquiſſimos Autores quos noſtra chemica latebant tanto minus ſpiri-

10) Lib. XVIII. obſ. 47.
11) In exercit. pr.
12) Lib. III. c. 13.

ſpirituoſorum, frequentior autem adſtrigentium mentio. Ita nempe *Aretaeus*, [13]) ſi omnia in peius ruant ventri palmulas vino madefactas acaciam hypocyſtidem creato roſaceo excepta, atque *Aegineta* [14]) et *Aetius* [15]) perſeuerante impetu extus cataplasma ex iisdem et malicorio imponi ſuadent. Sed de his omnibus quae ſententiam iam expoſui cum de interno vſu acidorum et adſtringentium agerem, mentem quoque meam vberius de ſpirituoſis et aromaticis in ſuperioribus elocutus ſum. Neque iam in longam rationem me diffundo occaſione miri conſilii quod apud *Celſum* [16]) lego. Si tormina adſunt oportet frigidis et humidis fomentis ſtomachum fouere, ſed ſi venter dolet iisdem egelidis, ſic vt venter ipſe mediocriter calentibus iuuetur. Non aſſequor diſtinctionem inter tormina et dolorem, nec iuuamen modo ab actu frigidis, modo a tepidis, de vtriusque vero iam fuſe egi in antecedentibus. Vt tandem finiam in genere vt reſpectu omnium pharmacorum internorum ita et reſpectu topicorum, quae adhiberi poſſunt et debent in cholera non ſatis inculcari poſſe, duco neceſſariam

13) Curat. acut. lib. II. c. 4.
14) Lib. III. c. 39.
15) Tetr. III. ſerm. I. c. 12.
16) Lib. III. c. XI.

ſariam conſiderationem, durante et vigente morbo magis irritationem ventriculi et inteſtinorum eiusque conſectaria, quam relaxationem reſpiciendam eſſe; ſuperato malo doloribusque et aeſtu ceſſantibus, iuuat demum relaxationi mederi, non antea. Has ob cauſas ſpongias maiores vel pannos laneos decoctis emollientibus calentibus madidos, cataplasmata ex farina ſeminis lini puluere rad. alth. cum lacte, oleum amygd. dulc. cum pauxillo olei nucis moſchatae expreſſi a qua miſcela ego manifeſtum ſemper ſolamen perſenſi, vnguenta emollientia, illudque de hyoſcyamo quod Lentilio [17]) toties in vſu fuit ſaeuiente morbo, omnibus aliis praeferenda eſſe palam aio.

§. 39.

Sed et huc faciunt maximopere balnea emollientia, quorum obliuiſci nequeo, cum eximium et haud ſatis a me depraedicandum fructum inde inter ineffabiles dolores obtinuerim. Obſtupeſco vero totus, neque intelligo, qui factum ſit, quod fere nullam aut raram ſaltem eorum mentionem iniectam, in cholerae medela apud omnium aetatum Auctores quos euolui inueniam. Iamque mirari deſino, cur minus opportunum *Balnea.*

17) Vt Eteodr. p. 244.

num hoc remedii genus viſum ſit medicis aliquibus in vicinia loci vbi decumbebam degentibus, imo vero cur fuerint, qui per amicos me hortarentur deſiſterem ab ingreſſu balnei, res meas omnes peiores reddituri. Namque praxis vulgaris iniungere vix ſolet, vt aegri laborantes cholera in balneum deducantur. Gaudeo vero valde quod therapiae meae annuentem habuerim artis parentem *Hippocratem*, quem qui legunt, non poterunt non aliter ſentire, etiamſi hactenus aliena a legitima medendi methodo balnea iudicauerint. Hic nempe virum ſuum Athenienſem cholera affectum, cum frigidus iam fieret lauatum calida multa inferne commemorat, donec partes etiam ſuperiores calefactae redderentur, atque in viuis manſiſſe recenſet. [1]) Diſertis vero verbis alibi ipſe, in bilis ſuperne et inferne fluxu ventrem curandum per potiones inmectantes, et per balnea calida corpus mollientia capite excepto praecipit. [2]) Laudant equidem ſcio, dedeceret quippe hoc ignorare, alii veteres medici in hac cholerica aegritudine balnea, quae in genere frequentius in curatione et prophylaxi morborum commendabant, ac ſolent facere neoterici,
ſed

1) Popularium V. §. IV.
2) De affectionibus §. 28.

ſed laudant ea prorſus alio fine, prorſus alio tempore, quam ipſe ego *Hippocratem* et quam maxime indicationes veras therapeuticas ſecutus, illa in vſum vocari debere cenſui. Nempe non niſi cholera ſuperata iis vtendum praecipit *Trallianus*, [3]) vacuatione finita ad balneum ablegari aegros volens; declinatione contingente demum ad balneum eos perduci etiam iubet *Aegineta*, [4]) neque minus *Celſus*, [5]) vbi malum conſtitit tertio die oportere ire in balneum et ſe cibo reficere pronuntiauit. Non addunt hi Autores fines quibus eo tempore potiri exoptarunt, crediderim autem ſecundum recentiorum medendi leges, quando roborandi relaxatas per morbum partes indicatio naſcitur, balnea huic potius contrariari, quae ſub ipſo morbo quando ſtrictum laxare decet, conuenientia magis haberi merentur, mea ſententia. Licet vero durante eodem antiquis adhibita non adeo fuerint, videor tamen mihi in eorum medicatione tacitam vſus ſub ipſo vigore aegritudinis approbationem deprehendere. De cruribus, brachiis ſpasmo et contractione affectis, frigoreque extremorum, quando malum maioris momenti exiſtit, loquuntur omnes veteres, vix aliquo

3) Lib. VII. c. 14.
4) Lib. III. c. 39. 5) Loco cit.

aliquo eorum excepto. Ab hoc frigore malam prognosin deducens, instansque si id pertinacius afflixerit frigus emortuale tristi augurio praedicens, atque e contra a caloris reditu omnia fausta ominans *Aretaeus* inculcat serio si torqueantur intestina et pedes frigescant, oportere eos molliter fricari ad genua vsque, atque inungi vt caliditas quae abierat reuocetur. [6]) *Celsus* quoque si extremae partes frigidae fuerint, eas inungendas calido oleo, calidisque fomentis nutriendas monet. [7]) Praeter hos *Aegineta* [8]) ad conuulsorias contractiones artus non saltem oleo inungendos vult, sed iubet insuper vt aqua calida perfundantur. Nonne vero haec omnia consilia argumenta validissima praebent pro balneo, omnibus inunctionibus praeferendo, inque ipsa curatione adornando, vt nisi omnia me fallunt inter Arabes voluit *Rhazes*, et inter alios paucos *Raymundus Fortis*. *Piso* certe vestigiis veterum incedens, remediaque illorum topica quae citaui proponens tandem ipsissimo verbo addit et subiungit *balneum* aetiologia vsus non omissa. *Si iam* inquit, *corpus collabi et facultas aegre ferre coeperit vacuationem humorum, impetus in contrarium vertendus est crurum et brachiorum frictionibus, illitis manibus oleo anethino*

6) Curat. acut. lib. II. c. 4.
7) L. c. 8) Loc. cit.

anethino et irino. Per has enim praeter auersionem curantur conuulsiones, ligaturae quoque dolorificae artuum iuuant, cucurbitae etiam scapulis lieni, hepati affixae balneum item ad cutem trahens. [9]) Manifestum est *Pisonem* reuulsioni vt per alia remedia, ita et per balneum quod facile reliquis palmam praeripit obtentae, dum eius beneficio humorum ad intestina per stimulum allectorum atque vndatim eo ruentium impetus ad exteriora determinatur, maximum momentum tribuere, quod omnino in curatione multum boni praestat. Sane ipsa hac reuulsione cito procurata mala quae veteres allectis ad exteriora humoribus per varia molimina curare volebant non curasse, sed praepediuisse ne ingruant, atque eorum aduentum quem increscens morbus minabatur haud expectasse, simulque excretiones per vomitum et secessum vitae pabulum emungentes, detracta illis et auocata a locis in quibus contingebant materie, tuta hac methodo cohibuisse; atque tandem febrem ad intestina conuersam (namque ita certe aeque audire potest cholera ac dysenteria Sydenhamo) valide impugnasse, non mediocris est felicitas; sed longe plura sunt, quae in aegri salutem ex balnei vsu redundant. In omni corporis cortice patent ostiola prorsus innume-

9) L. c. p. 75.

numerabilium venularum abſorbentium, ex experimentis vero certiſſime conſtat haec facillime et non exigua copia alluentia liquida ſugere, atque ad interiora ablegare, quantum vero boni inde derivari debet, in omne corpus aegri propter liquidorum vitalium perpetuam iacturam exhauſtum pene, et ſicciſſimum redditum. Dum vero ita inhalationi favet balneum, relaxata cute exhalantis quoque perſpirabilis ex minutiſſimis arteriolarum apicibus promotioni pulchre ſeruit, atque inuerſum ad inteſtina humorum flumen ad externum corporis habitum iterum allicit, morbumque ipſum ſuo commeatu priuat. Inſuper vero toti abdomini perpetuo molliſſimum fomentum praebet balneum, inque ipſa loca affecta blanditer agit, atque iisdem ſumma beneficia impertitur. Nil certe omnis ars habet aptius ad horrendas fibrarum ſtomachalium et inteſtinalium ſtricturas et criſpationes relaxandas ac emolliendas; nil ad furias dolorum mitigandas, nil ad naſcentem inde inflammationem praecauendam et impugnandam, quam molliſſimum, leniſſimum tepidumque madorem aquae vel lactis maxime ſi herbarum, radicum, ſeminum emollientium virtute impraegnetur. Quin ſi inteſtinorum aut ventriculi plicis pertinaciter adhaeſerit tenaci forte blioſo glutini immerſa acrimonia, haec intromiſſa

miſſa lenientiſſima humiditate emollitur, ac praeparatur ſenſim vt ſecedat e ſuo latibulo, et eliminari queat, maxime ſi ſedens in balneo aeger ſimul bibat ſtrenue iisdem finibus inſeruitura liquida. Haec omnia qui conſiderauerit accuratius, mihi quidem vltro concedet praeſtantiſſimum vſum balnei emollientiſſimi in curatione cholerae, quem ſat expertus extollo, neque ſaltem in malo a veneno nato id conuenientiſſimum habebit, quemadmodum Cl. *Kramerus* [10]) in cholera ſanguinea a mercurio ſublimato aſſumto excluſa balneum egregium reperit, ſed in omni grauiore cholera, vtpote cuius cauſa etiamſi vere non venenoſa ſit, ſemper tamen venenum aemulatur. Vix quoque opinor Medicum de his omnibus ita ſe habentibus convictum a conſilio balnei auertet adſtantium turba aegrum nimis debilitatum imparem huic remedio habens, vanus enim metus eſt, ſi nimius ſaltem calor caueatur, idque non niſi leniter tepidum adhibeatur. Debiliſſimus et a ſolis intenſiſſimis doloribus lipothymiis obnoxius id tuli ego facile, atque remiſſione impetrata virium quaſi incrementum mihi addi autumaui, atque eapropter depoſito pretio certare audeo, aegrotorum quemuis eadem emolumenta inde ſenſurum fore.

10) Commerc. litter. Norimb. A. 1735 menſe Iul.

§. 40.

Epilogus. Nil habeo amplius quod hactenus expositis adnectam, quare prolixiori considerationi remediorum huic morbo curando seruientium finem facio. Merebatur vero eius atrocia, vt singulorum vsus expenderetur curatius, Autorumque diuersae sententiae trutinarentur exactissime sola quippe dexterrima adhibitio pharmacorum facit, vt natura vix vincibilis aegritudo, arte interdum vincatur. Constitit satis, nullum vniuersalem methodum suppeditari posse sed eam causae, subiectoque laboranti ac tempori prudentissime accommodandam esse. Interim tamen ex adductis liquet, cholerae aestiuae, biliosae, febrilis vt mea erat, palmaria remedia haberi venae sectionem, rheum si indicetur, in principio principii sine sale exhibitum, potum demulcentissimum fere tepidum, serum lactis, lac cum aqua coctum, emulsiones, acidulas lacte remistas, iuscula auenacea, hordeacea, carnium tenuia, balneum emollientissimum, clysmata emollientissima, fomenta et vnguenta emollientissima tandem opium: vixque post simplicissima haec restare alia, quae serio commendari possunt. Horum beneficio superato morbo, declinatoque vrgentissimo vitae periculo, tonum deperditum optime instaurari martialibus in forma liquida, maximeque aquis minerali-

bus

bus ferratis; ac laeſa inteſtina praecipue ſolari gelatinas, lacticinia, oua ſorbilia pariter ni fallor hiſtoria praemiſſa abunde docuit. Vtinam illa omnia quae ſolerter et cordate expoſui hactenus, immani cholerae morbi ſaeuitiei, qua ſubito vitas tot mortalium rapit, aliquid detrahant, atque rariora inpoſterum efficiant praematura ſaniſſimorum, et in viridiſſima aetate conſtitutorum hominum funera! Eximio ſane fructu ita rependi ſtatuerem triſtes aerumnas, quas expertus ſum aegrotans Medicus, maximumque per Dei gratiam exſolui adhibitae a me operae praemium.

Sphalmata numeroſa abſenti Auctori haud imputanda, ſenſum tamen miſere hinc inde turbantia, Lector beneuolus vt corrigat, rogatur.

Pag. 8. lin. antepenult. lege oblataeque p. 12. l. 19. lege iſchiadem p. 16. l. 2. lege munificentiae p. 17. l. 9. lege moto p. 29. l. 19. deleatur cum p. 34. l. 6. lege copia §. 7. lin. 9. deleatur potu p. 36. l. vlt deleatur *potum*, vt et aliis ſubſequentibus locis multis vbi *infuſum thée* exſtat cui vocabulum *potus* praeter rem a Correctore alieno additum eſt. Pag. 44. lin. 5. lege perniciſſimum p. 47. l. 23. lege excurrentia p. 48. l. 2. lege mihi reddere poteram lin. 26. iuſtam p. 57. l. 18. lege en! p. 60. l. 20. lege huic p. 66. l. 10. lege illaudabile p. 84. l. 5. lege morti lin. 28. lege ablatis iis et allatis p. 86. l. 25. lege eiiciebatur p. 88. l. 2. lege alcoholis p. 100. l. 6. lege propinquior p. 105. l. 20. lege inuita p. 118. l. 16. lege admouerem p. 129. l. 14. lege aluumque lin. 26. deleatur eo p. 132. l. 2. lege timidus p. 134. l. 26. lege ariddiſſimae p. 135. l. 8. lege immani p. 136. l. vlt. lege nullo p. 142. l. vlt. lege quod p. 144. l. 8. lege colore lin. 22. aſſume-



assumebam p. 146. l. 6. lege pro *ratus*, arbitrabar p. 154. l. 19. lege pro *mortem* noctem p. 155. l. 4. lege inhibent lin. 7. lege retineatur lin. 11. lege parenchymate p. 156. l. 17. lege cuius p. 158. lege contenta p. 160. l. 24. lege eius Pag. 167. lin. 10. lege fauere p. 168. lin. 9. lege arrosione p. 183. lin. 10. lege pro *cuique* qui lin. 11. lege potusque lin. 14. lege pro *eiusque* eius p. 184. l. 18. post *ingurgitentur* fiat punctum. p. 186. l. 1. lege eadem lin. 28. pro *in* lege ni p. 188. l. 15. pro *eiusque* lege eius p. 189. l. 4. lege acescere lin. vlt. lege praegressorum p. 190. l. 11. pro *rarissimos* lege robustissimos p. 191. l. 2. post *causa sit.* lege. In ea certe antiqua sententia fuit Diemerbroeck p. 193. l. 23. lege humorem p. 195. l. 20. lege seorsim l. 22. lege diarrhoeae p. 199. l. 16 lege ductuumque lin. 17. lege eosdemque p. 200. l. 13. lege putridum p. 207. l. 24. lege quanta p. 209. l. 8. lege ipsam lin. 15. lege acidam p. 211. l. antepenult. lege aeruginea p. 219. l. 1. lege praeceps lin. 2. lege arsenicalis p. 221. l. 4. lege venenosam p. 223. l. 4. lege insidens p. 224. l. vlt. lege morbique p. 226. l. 11. lege resideat p. 228. l. vlt. lege hinc inde p. 229. l. 28. lege Vomitionibus p. 230. l. 5. lege pro *se* si lin. 9. lege ruyschianam lin. 23. lege porulos p. 234. l. 7. lege aetate. p. 235. l. 16. lege pulsumque p. 239. l. 14. lege Cous p. 243. l. 27. lege videntur p. 247. l. 20. lege mortique p. 251. l. 28. lege sensationes p. 252. l. 29. lege post *affecta* male habere p. 254. l. 24. lege seorsim p. 256. l. 21. lege oblocutionum p. 262. l 14. lege exsolutis p. 264. l. 14. lege stimulans p. 265. l. 7. lege terminosae p. 268. l. vlt. lege elleborata p. 272. l. 25. lege fuerint p. 281. l. 24. lege morbifica p. 283. l. 3. lege ciens lin. 16. lege ducuntur p. 285. l. vlt. lege aculeatam p. 288. l. 4. lege debuisset l. 5. deleatur *que* p. 290. l. 4. lege Olibanum p. 292. l. 13. post irritante deleatur *sed* p. 298. l. 17. lege idem ipsum p. 301. l. 20. lege Velo p. 306. l. 20. lege bronchiis p. 307. l. 20. lege velim p. 309. l. 22. lege innidulantes p. 312. l. 13. lege effusiori p. 314. l. 3. lege stabilis lin. 4. lege igneae, lege contactus lin. 5. lege propinqua lin. 17. lege eidemque p. 315. l. 17. lege aqua p. 323. l. 11. lege vstum p. 345. l. 14. lege vnice p. 347. l. 7. lege ea lin. 16. lege cum p. 354. l. 10. lege mulctum p. 358. l. 16. lege cerasis p. 382. l. 5. lege cerato lin. 9. lege sentiam lin. 14. lege orationem.

